This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

600049674Z

DE EUDOCIAE VIOLARII

IN VITIS SCRIPTORUM GRAECORUM FONTIBUS.

SCRIPSIT

A. DAUB

Dr. PHIL.

BEILAGE ZUM PROGRAMM DES GROSSHERZOGLICHEN GYMNASIUMS
ZU FREIBURG I. B.

FREIBURG i. B.
UNIVERSITAETS-BUCHDRUCKEREI VON CHR. LEHMANN.
1880. Progr. No. 506. 1880.

DE EUDOCIAE VIOLARII

IN VITIS SCRIPTORUM GRAECORUM FONTIBUS.

SCRIPSIT

A. DAUB

DR. PHIL.

BEILAGE ZUM PROGRAMM DES GROSSHERZOGLICHEN GYMNASIUMS
ZU FREIBURG I. B.

FREIBURG i. B.
UNIVERSITAETS-BUCHDRUCKEREI VON CHR. LEHMANN.

1880. Progr. No. 506. 1880.

BODLEIAN
11·2·1909
LIBRARY

De Eudociae Violarii in vitis scriptorum Graecorum fontibus.

Quod nuper in commentatione „de Suidae biographicorum origine et fide, Lipsiae 1880“, p. 26 not. 17 (= Fleckeiseni annal. phil. suppl. tom. XI, 426 not. 17) H. Flachii librum „Untersuchungen über Eudokia und Suidas (Lips. 1879)“ inscriptum explicatius me enarraturum nec non examinaturum esse promiseram, id consilio nunc mutato ita exequi constitui, ut totam quae in Violarii glossarum biographicarum fontibus rimandis versatur quaestionem non tam retractarem quam ad certum quendam finem pro meis viribus perducerem solveremque. Quo in munere consentaneum est perpetuo fuisse rationem habendam illius scriptionis Flachii, utpote qui omnium copiosissime in rem quade agitur inquisiverit. Cardo vero totius quaestionis — ut missis ambagibus in medias res transeamus — in hac re diiudicanda vertitur, utrum Eudocia in vitis illis epitomen ex Hesychii Milesii Onomatologo confectam, quam in Suidae quidem biographicis adhibitam esse nunc fere constat (cf. de Suid. biogr. 407 sq.), conpilaverit an vitarum maximam partem e Suidae lexico deprompserit. Nec defuere usque ad hunc fere diem, qui istarum opinionum uni alterive strenue patrocinarentur. Sed nolo nunc vel propter conmentationis huius angustias singulos utriusque placiti vindices deinceps enumerare eorumque iudicia ea qua par est diligentia exponere — quantumvis hinc ad totam disquisitionem luculentius perspiciendam nonnihil emolumenti redundaturum probe sciam — praesertim cum post Flachii curas (l. l. p. 35 sq.) huic rei ipse — quanquam non ab omni parte — satisfecerim (l. l. p. 426 n. 17). Novissima vero aetate qui totam quaestionem data opera retractarunt et R. Nitzschius (dissertatione „Quaestionum Eudocianarum capita quattuor, Altenburgi 1868“) et H. Flachius (in l. l.) in duas partes discessere diversissimas: ille scilicet plerasque vitarum Eudocianarum e Suidae thensauris profluxisse, hic Nitzschii opinioni refragatus Hesychii Onomatologum (seu rectius „epitomen“) conmunem Suidae Eudociaeque fontem fuisse statuit. Quorum rationibus quod aut adstipulari aut obloqui me posse (l. s. c.) negavi, sed Suidae lexico mulierem doctam usam esse Onomatologo tamen et conrigendi et amplificandi causa adhibito significavi, id tota re religiosissime denuo pensitata nunc sic circumscriptum volo, ut E. (Eudocia), quatenus non alios scriptores velut Laertium et Philostratum adierit, omnes fere vitas e Suida unice mutuata sit. Quod ut aliis quoque iudicibus probetur, prae ceteris Flachii argumenta, quibus contrariam sententiam evincere conatus est, sollerter et circumspecte examinanda videntur: quibus cum probandi vim ac nervum detraxerimus nostra simul ipsorum conroborabitur opinio. [Violarii editio Flachiana (Lips. 1880) sero mihi innotuit; sed quatenus etiamnunc licuit eam adhibui].

Caput I.

De Violarii aliquot vitis praecipue in librorum tabulis Suida auctioribus.

In Violeto sat multae reperiuntur glossae post Bernhardyum a Fr. Nietzschio (Mus. Rh. n. 22, 189 sq.), dein a R. Nitzschio (l. l. 30 sq.), postremo a Flachio (l. l. 38 sq.) plene[1]) conpositae, quae

[1]) Unum addere licet testimonium s. *Ζωίλος*, ubi E. post *τελευτῆς* verba *βιβλία δέκα* exhibet (Suidas *β. τρία*), dein pergit verbis *περὶ Ἀμφιπόλεως βιβλία τρία*, quae omnia num ab Hesychio profecta sint vehementer dubito.

praesertim in libris quorundam scriptorum recensendis aliquanto uberiores quam Suidianae sunt. Qualia additamenta ad Hesychii epitomen pleraque referre et Fr. Nietzschio et Flachio visum est, unde suam ipsorum de illa tanquam primario Eudociae fonte sententiam egregie stabiliri opinantur. Sed vide ne ex harum accessionum numero permultae eximendae sint utpote e Suidae lexico ipso per contortam quandam interpretationem petitae seu per errorem quemlibet nec non oscitantiam (eamque saepiuscule librariorum) in vitam aliquam detrusae seu aliunde in suam quaeque sedem vel Eudociae ipsius vel Byzantinorum magistellorum sedulitate invectae. Quocirca fieri nequit quin singula deinceps testimonia multo acrius subtiliusve quam adhuc factum vidimus enarrentur et perpendantur: quanquam — id quod nimis conmodum foret — ad eam normam rem exigere nefas est, ut plurima additamenta sero demum lectorum industria accessisse cum Nitzschio (l. l. 33 sq.) sumamus.

Flachio vero (l. l. 39 sq.) indolem vere Hesychianam prae se ferre videntur notationes harunce glossarum: s. *Ἀντιφάνης* (i. e. *Καρύστιος, κωμικός*), *Ἄψυρτος, Ἀρχιμήδης, Δαμόκριτος, Δίων, Ἑρμαγόρας, Εὐστέφιος, Ἐπαφρόδιτος*. Quod etsi per se verum est inde tamen ipsa earum Hesychiana origo conprobari nequit. Nam verba s. *Ἀρχιμήδης* (*καὶ εἴς τινας τοῦ Πλάτωνος διαλόγους*) Eudociae ipsi deberi Nitzschius (l. l. 33) iam perspexit, cum mulier erudita ad aequalium consuetudinem in Platonis scriptis operam conlocasse videatur. Idem Epaphroditi aliquot librorum memoriam a cognitione scholiorum Homericorum et Pindaricorum iure repetiit (p. 32).[1]) Contra difficile est certum ferre iudicium de origine tituli s. *Δαμόκριτος* (*Αἰθιοπικὴν ἱστορίαν καὶ ἄλλα*), quem ipsi Eudociae innotuisse vix crediderim, immo Bernhardyo (Comment. de Suid. lex. p. XXXI) adstipulor cui verba illa (itemque alia additamenta) e plenioribus Suidae libris profluxisse videntur. Atque Suidae opus his illis locis aliquando fuisse locupletiorem quam quod nos manibus versamus, neminem mirum habebit qui singularem eiusmodi librorum condicionem fortunamque reputaverit (cf. Bernhardyus l. l. p. XLII, LXIV, Nietzschius l. l. 192, Nitzschius l. l. 33, E. Maassius de Sibyll. indic. Diss. Gryph. 1879, p. 56 et adn., nos infra). Quam rem si tenebimus, perpauca illa additamenta, quae unde originem traxerint pro certo enucleari nequit, ad uberius aliquod Suidae exemplar non temere revocare videbimur. At de libro s. *Ἑρμαγόρας* ceteris adiecto certiora possunt in medium proferri. Titulum nimirum *περὶ κώλων καὶ περιόδων* Suidae ignotum ab Eudocia ipsa sive mavis a doctis lectoribus verbis *περὶ σχημάτων* interpretamenti instar olim adscriptum fuisse contendo. Namque in Alexandri *περὶ τῶν τῆς λέξεως σχημάτων* explanatione (cf. Rhett. Gr. III 27 ed. Spengel) quasi primaria *σχήματα τῆς λέξεως* designantur *περίοδος καὶ κῶλον καὶ κόμμα*, quibus interpolatorem quicunque is fuit Hermagorae *σχημάτων* argumentum delineare voluisse quis amplius ibit infitias? Rursus testimonium quod extat s. *Δίων φιλόσοφος* (*ἀλλὰ καὶ διαλόγους πολλοὺς κατὰ μίμησιν Πλάτωνος*) ad totam rem nullius esse momenti neminem effugiet qui Suidae verba *ἔγραψεν ἐπιστολὰς πρὸς Πλάτωνα καὶ ἄλλους τινάς* — cuius in locum Hemsterhusius *ἄλλας* substituit — consideraverit. Nam tale quid apud Suidam intercidisse quod tradit E. sive hanc ipsam mutilam illius orationem proclivi coniectura supplevisse veri simillimum est. Ac prius illud in glossa s. *Ἄψυρτος* evenisse videtur, ubi E. post *περὶ... ἀλόγων* relicuis omissis *ἐν βιβλίοις τέσσαρσιν* addidit, quanquam ne id quidem suspicari absonum est, Eudociae temporibus memoriam illius operis nondum fuisse oblitteratam, pariter atque alter libellus (*ἰατρικὸν βιβλίον*) hodie adhuc extat. Prorsus denique lubrica est opinio sicut de tota glossa s. *Ἀντιφάνης*, qua tres Antiphanis nomine poetae uno tenore recensentur, ita de verbis *καὶ ἄλλος, Καψάστιος, κωμικός, ἔγραψε κωμῳδίας λ', οἱ δὲ πεντήκοντα*, his quidem unice Violario notis, quibuscum iuvat conponere Suidiana: *ἔστι δὲ καὶ ἕτερος Ἀντιφάνης, Καρύστιος, τρανός* (*τραγικός* coniecit Toupius), *κατὰ Θέσπιν γεγονὼς τοῖς χρόνοις* (cf. D. Volkmannus quaest. nov. p. IX), pro quibus Rohdius (Mus. Rh. n. 34, 620) de Antiphane aliquo comico cogitans *Θέογνιν* (cl. Suid. s. *Νικόμαχος Ἀλεξ.* et s. *Θέογνις τραγ.*) suasit. Sed Bernhardyo fere adsentior de Suidae certe notatione iudicanti (Suid. edit. I 491): „Utut est, *Καρύστιος κωμικός*

[1]) De glossa s. *Εὐστέφιος* infra erit videndum (cf. Flach. l. l. 76).

si cum Eudocia praeferendum, id ab imperito homine videtur inculcatum esse, qui memoriam Apollodori tum Atheniensis tum Carystii comici ad Antiphanarum similitudinem revocaret.“ Quae cum ita sint totam glossam hac in causa mittere fere praestat.

Dein inter cetera additamenta quae Flachius (p. 40 sq.) enumeravit (s. *Ἐπίκτητος*, *Ζωναῖος*, *Ζηνόδοτος*, *Κικίλιος*, *Μαξίμιος Τύριος*, *Μυρώ*) illud s. *Ἐπίκτητος* (*ἔγραψε πολλὰ ἠθικὰ καὶ* (quod ego addidi, cum Flachius p. 41 Nitzschium p. 33 secutus *ἠθικῆς* coniecerit) *φιλοσοφίας ἀνάμεστα*) hinc removendum videtur, quoniam nimis generaliter dictum est Eudociaque in plerisque a Suida ita discrepat, ut peculiarem fontem adiisse videatur. Deinde in gl. s. *Ζωναῖος* E. pro Suidae verbis *ἀλλ' ἀποπίπτουσι τοῦ χαρακτῆρος* talia narrat: *καὶ ἄλλα γραμματικά τε καὶ ῥητορικά*, quorum fides mihi equidem suspecta est vel propter ceterorum Zonaei scriptorum indolem, ita ut coniectare in promptu sit e glossa quae praecedit s. *Ζωΐλος* (*ἔγραψε .. τινὰ* [scil. *φιλόσοφα* vel *ῥητορικά*] *καὶ γραμματικά*) ista per errorem nescio quem huc esse traiecta.[1])

Sequitur glossa perquam notabilis, qua semidoctorum interpolatorum industria clara in luce ponatur: videlicet s. *Ζηνόδοτος Ἐφέσιος* E. post verba *ἐπὶ Πτολεμαίου γεγονώς* ceteris Suidae praetermissis subiunxit *ἔγραψε περὶ αὐθυποτάκτων καὶ ἀνυποτάκτων*, quam notitiam a Duentzero (de Zenodoti stud. Hom. p. 23) plane neglectam esse haud mediocriter mireris. Qua in narratione tria potissimum gravissimam excitant dubitationem: primum quis non in eo haesitabit, quod Zenodoti alicuius scriptionis Suidae ceterisque testibus prorsus ignoratae memoriam sola E. ab oblivione vindicaverit? Dein quis tandem sibi persuadeat iam a Zenodoto antiquissimo Alexandrinorum grammatico subtiliorem de modorum (*ἐγκλίσεις*) vi atque usu doctrinam, quam quidem Tryphonis demum libro *περὶ ῥημάτων ἐγκλιτικῶν κ. τ. λ.* (cf. Suid. s. *Τρύφων*, et e. g. Graefenhanius Gesch. der kl. Philol. I 487, III 428) adumbratam fuisse probabile est, ita enarratam esse, ut de intricatiore quadam huiusce generis materia, de verbis nimirum quae coniunctivi aoristi quem nuncupant secundi formationem admittunt ac de iis quae talem abnuunt, peculiari libello exposuerit? Huc tertium accedit, quod nullam eiusmodi scriptionem novimus nisi Herodiani nomine consignatam (cf. Bekkeri Anecd. gr. III 1086), sed Lehrsii acumine (Anal. gramm. p. 422, vid. Herodiani reliqu. ed. A. Lentz I p. XV) inter suppositicia suspectaque celeberrimi grammatici scripta relegatam. Apage igitur titulum istum interpolatoris nescio cuius temeritate invectum, qui cum scripta Ephesii apud Suidam desideraret e suae eruditionis dotibus glossae margini illum adpinxerit. Progredimur ad articulum s. *Κικίλιος* (pro quo nomine Meinekius Exerc. phil. in Athen. I, 3 sq. *Καίκαλος* vel *Κίκαλος* reponi volebat), in quo E. ceterorum *ἁλιευτικῶν* scriptorum recensu Suidiano quem ex Athenaeo (I, 13 b) excerptum esse constat (cf. D. Volkmannus Symb. Phil. Bonn. II 717 sq.) omisso post *γεγραφώς* verba adnexuit *καὶ περιήγησιν Ἑλλάδος καὶ ἄλλα*, cuius libri memoriam una E. servavit. Nec diffiteor mihi hac quoque in notatione fraudis aliquid suboluisse. Etenim ni fallit opinio res ita conparata est, ut S. (Suidas) ipse (non Hesychius, id quod Flachius Mus. Rh. l. l. 216 posuit, initium gl. huic subministravit, neque etiam Bernhardyus rei veritatem perspexit l. l. p. XXXIV) verba *Κικίλιος-γεγραφώς* indidem descripserit, quare Westermannus (*Βιογράφοι* p. 74) Suidae glossam Eudociae inmerito posthabuisse videtur (cf. Volkmannus l. l. not. 1). Itaque vix fieri potest ut Hesychius istam Eudociae suppeditaverit. Augebitur vero suspitionis causa, ubi scriptionem qualis est *περιήγησις Ἑλλάδος* ab *ἁλιευτικῶν* scriptore nimis abhorrere perpenderis. In tali rerum condicione titulum illum ab ipsa Eudocia — quae singulos scriptores percensere noluit — vel ab inperito lectore ad inscriptionis similitudinem qualis e. g. s. *Διονύσιος Κορίνθιος ἐποποιός* exhibetur (*οἰκουμένης περιήγησιν δι' ἐπῶν*) effictum esse suspicari licebit, nisi forte Eudociam illam notitiam aliunde adripuisse sumere mavis. Rectissime postremo Volkmannus (l. l.) cum M. Schmidtio (Fleckeiseni annal. phil. a. 1855 p. 474) ex Eudociae silentio Suidae glossis insiticiis purgandi argumenta

[1]) Ceterum quod Flachius (Mus. Rh. n. 35, 194) hanc glossam Hesychio adtribuit, id propterea inprobo quod de Zonaei vita nihil traditur, qua re ad Suidam auctorem deferimur.

petere dubitavit. Porro librorum memoriam s. *Μάξιμος Τύριος* e propria Eudociae notitia manasse Flachius (p. 41) ipse largitur (cf. Nitzschius p. 42, Bernhardyus p. XXXI). Pleniorem denique s. *Μυρώ* tabulam vel ob singularem eius naturam aliunde haustam esse Bernhardyus (l. l.) verissime monuit.

Dehinc percensentur (p. 41) additamenta in glossis s. *Μητροφάνης Λεβαδεύς*, *Μένιππος*, *Νεάνθης*, *Πρόκλος* (*ὁ δεύτερος Μαλλώτης*), *Προκόπιος*, *Σιβύρτιος*, *Σαλούστιος Μοψεάτης*, *Σαννυρίων* obvia. Verum in gl. s. *Μητροφάνης* id velim respicias verba *ἔγραψε πάνυ καλῶς* post *περὶ τῶν χαρακτήρων Πλάτωνος* esse subiecta, quorum indoles ipsam Eudociam in Platonis scriptis versatam (cf. supra p. 4) nec fortasse huius ipsius commentarii ignaram ea adnotavisse evincit.[1]) Sequitur in gl. *Μένιππος* post titulum *Κέρκωπες* fabula *Ὄφεις* inscripta, cuius fides in gravem cadit offensionem. Nam id potissimum subit mirari quod comici poetae, quem „facticium atque ex Hermippi — cuius *Κέρκωπες* notissima est fabula — nomine detortum esse“ Meinekius (F. C. G. I 494) perquam probabiliter coniecit, fabulae titulum qui num integer sit ne constat quidem nedum qua ratione interpreteris, Violario solo oblivioni ereptum cernimus. Itaque ni illum e Suidae libris excidisse sumere mavis — id quod mihi quidem parum adridet — per errorem vix explicabilem nomen illud huc inmigrasse arbitror.[2]) Porro E. in gl. s. *Νεάνθης* his scriptis Suidam exsuperat: *περὶ κακοζηλίας ῥητορικῆς καὶ λόγους πολλοὺς πανηγυρικούς*, quae in plenioribus Suidae libris aliquando extitisse propterea existumo, quod nunc apud Suidam praeter omnem fere consuetudinem omissa est Neanthis scriptorum tabula. Eadem mihi mens est de tabula s. *Πρόκλος*, praesertim cum S. in singulis Proculis recensendis singulorum quoque opera praeter hunc Proculum adcurate denotaverit (ceterum cf. Bernhardyus l. l. XXXI). Quid? quod E. in gl. s. *Σιβύρτιος* libris *μελέτας τε καὶ ἐπιστολάς* Suida ditior est, cui rei multum tribuere nolim, quod tituli quales hic conmemorantur inter rhetorum scripta tritissimi sunt: unde facile suboritur suspitio illos ad ceterorum similitudinem esse adiunctos, quanquam ne in hac quidem notatione e plenioribus libris illam profecisse inprobabile est. Prorsus autem Nitzschii (p. 32) de titulis *Περσικά* et *Γοτθικά* (s. *Προκόπιος*) iudicio accedo ac pariter Bernhardyo (p. XXXI) credo in gl. s. *Σαλούστιος* librorum tabulam a Suida omissam aliunde sumpsisse Eudociam. Denique in gl. s. *Σαννυρίων* fabularum *Ἰνώ* et *Σαρδανάπαλος* memoriam unice illa servavit: quarum quidem priorem ex Suidae codicibus ante *Ἰώ* proclivi errore excidisse opinari licebit (ceterum cf. Wachsmuthius Symb. Phil. Bonn. p. 152) idemque fere de altera statuendum videtur, quade mirum tulit iudicium Bernhardyus (cf. quae dixi Mus. Rh. n. 35, 65).[3]) Quanquam eam nunc quidem ab omni dubitatione exemtam nolim: nempe si Suidae glossam *Σαρδανάπαλος* ab illa (s. *Σαννυρίων*) prope abesse consideraveris, istam vocem miro casu huc pertractam atque in librorum tabulam intrusam esse haud temere conicias.

Ultimo loco (p. 42 sq.) additamenta notantur quae extant s. *Σωτηρίδας*, *Φιλητᾶς*, *Φίλων* (*γραμματικός*), *Χριστόδωρος*, *Χάραξ*. E quibus glossam s. *Φιλητᾶς* segregandam esse Flachius ipse animadvertit (cf. p. 166), dein in prima s. *Σωτηρίδας* quod E. tradit *ὑπόμνημα εἰς Ὅμηρον καὶ Μένανδρον*, S. tantummodo *ὑπόμνημα εἰς Μένανδρον*, verba *εἰς Ὅμηρον* ipsam adicere potuisse dilucidum est, praesertim cum

---

[1]) Praeterea in fine E. adiecit *καὶ ἄλλα*, qualia additamenta haud raro obvia (cf. Nitzschius p. 31, n. 5, Flachius p. 41, n. 1) Flachius ab Hesychio repetiit. Neque ea similiave interdum quadam auctoritate inniti praefracte negaverim, quanquam plerumque temere adnexa videntur, hinc ut ad glossarum ubertatem nil fere queat concludi. Reminiscere modo Suidae Eudociaeque in tabulis excerpendis istam locutionem admodum fuisse sollemnem nec mirabere utrumque indicibus quamvis plene descriptis talia incuriose adspersisse. Sed Eudociam in tabulis s. *Βασιλικός* (*καὶ περὶ ἄλλων πολλῶν ῥητορικῶν*) et s. *Εὐστάθιος* (*καὶ ἄλλα τινὰ χρονικὰ συνεγράψατο*) describendis diligentius versatam esse nemo concedet qui in priore memoriam scriptorum rhetoricorum (Suid. *καὶ ἄλλα*), in altera operis chronologici praecessisse reputaverit, quanquam Eudociae haec „alia scripta“ etiamtum nota fuisse credere licet. Denique librorum tabulas ex Athenaei deipnosophistis delibatas (*ὥς φησιν Ἀθήναιος*) Suidae non Hesychio deberi, de Suid. biogr. p. 482 sq. exposui (vide contra Flachium l. l. 41 n. 1, 164, et Mus. Rh. 35, 200).

[2]) Ceterum Flachius in Violarii edit. p. 499 ad nomen *Ὄφεις* mire adnotat: „om. P V.“

[3]) Vide sis nunc Flachii edit. Violar. p. 642.

antecesserit titulus *ζητήσεις Ὁμηρικαί*.[1]) Tum verba in fine vitae s. *Χάραξ* adposita (*καὶ πολλὰ φιλόσοφα, ἐν οἷς καὶ συμφωνίαν Ὀρφέως, Πυθαγόρου καὶ Πλάτωνος περὶ τὰ λόγια*) item inveniuntur s. *Πρόκλος* et s. *Συριανός* (in utraque Suidae notatione eadem narrantur). Quae apud Suidam in glossam s. *Πρόκλος* unice convenire iam Bernhardyus (II, 987) intellexit, at lectoris industria propter studiorum quae inter hos duos philosophos „neoplatonicos" intercessere adfinitatem in gl. s. *Συριανός* inrepsisse non feliciter coniecit: cuius quidem perturbationis qualis origo sit, „de S. b." 409 sq. ostendi. Iure contra Flachius (p. 43) quod verba illa etiam in Eudociae glossam s. *Χάραξ* inmigrarunt ad Proculi et Characis (cf. s. *Χάραξ... ἱερεὺς καὶ φιλόσοφος*) studiorum cognationem rettulit. Qua de causa ne hoc quidem testimonio quicquam conprobatur. Denique de scriptis s. *Χριστόδωρος* uno Violario servatis (*ἐπιγραμμάτων βιβλία γ', ἐπιστολῶν δ'*) sic fere statuo, ut mulier erudita, quae insuper proprium ex parte instauravit tabulae ordinem, de sua notitia ea addiderit, quae sententia temporum quoque rationibus conmendatur.[2]) Iam quamvis de his illis testimoniis me non ita disputasse, ut opiniones meae in suspitionem adduci nequeant, probe sciam, pleraque tamen ad Flachii iudicium confirmandum parum adposita esse singulorum indole adumbrata demonstrasse mihi videor.

Dehinc disputatio transeat ad percensenda ea additamenta, quae Flachius (l. l. p. 43 sq.) ipse congessit. Haec vero omnia ferme ad summam quaestionis diiudicandam nullius esse momenti mox patebit. Ac Flachius ipse ex ceterorum numero segregavit testimonia haece: primum s. *Δίων* et s. *Καπίτων* (*τὸν Ματαβινόν*), quas quidem accessiones cur recentiori interpolatori adtribuamus nullam causam video, quasi talia ipsa E. adnotare non potuerit. Idem evenisse opinor in verbis glossae s. *Ἐπιγένης κωμ.* subiunctis (*ἔστι δὲ τῶν ἀρχαιοτάτων*), quae prorsus inepta dicta esse liquet. Sed unde eiusmodi errorem natum esse existumas? Confudit nempe E. Epigenem comicum cum tragico eiusdem nominis, cuius s. *Θέσπις* (cf. Suid. s. h. v.) mentio fit his verbis: *θ... τραγικός, ἑκκαιδέκατος ἀπὸ τοῦ πρώτου γενομένου τραγῳδιοποιοῦ Ἐπιγένους* (quod pro *ἐπὶ γένους* reponendum est) *τιθέμενος* (addit Suid.: *ὡς δέ τινες δεύτερος μετ' Ἐπιγένην*). Praeterea merito ille seclusit (cf. p. 166) glossas s. *Κέφαλος* (ubi E. Suidae librorum — praeter Parisinos — scripturam *πρὸ τῆς ἀναρχίας οε'* secuta *ὀλυμπιάδας* suopte ingenio supplevit)[3]), s. *Νικάνωρ* (ceterum verba *περὶ στιγμῆς* et *ἐφ' ἧς πραγματείᾳ ἐσκώπτετο* non desunt apud Suidam; priora certe in omnibus libris leguntur quanquam e superioribus hic temere repetita iureque a Bernhardyo expuncta, ut in epitoma vix extitisse videantur; relicua vero libris AV ignorata in margine habet E, unde in Violarium inmigraverint)[4]), s. *Πρόκλος ὁ Λύκιος · καὶ μητρῴακὴν — οὐχ εὑρίσκεται*, quorum priorem partem E. e Suida qui quidem Marini vit. Procl. 33 excerpsit, non ex Hesychio (quod Flachio Mus. Rh. 35, 221 videtur, cf. „Untersuchungen" p. 61 sq.) deprompsit, cetera (*ἅπερ κ. τ. λ.*) suo iudicio adiecit pariter ac verba quae in caloe vitae *Πλούταρχος* inveniuntur (*ὧν τὰ πλείω οὐχ εὑρίσκεται*), nec non in gl. s. *Ποτάμων* post *περὶ τελείου ῥήτορος* notam *πάνυ θαυμαστῶς*, qualia sero demum accessisse iniuria sumpsit Flachius p. 44 n. 2.

Verumtamen ceteris additamentis notitiam litterariam aut locupletari aut suppleri idem contendit (l. l. 44), quod quatenus vere dixerit videndum est. Ac primum quidem in gl. s. *Ἀντίπατρος* verba *ἱστορίαν καὶ σύγγραμμα ἐπιστολῶν ἐν βιβλίοις εἴκοσι* etiam apud Suidam quanquam inverso ordine occurrunt: *ἐπιστολῶν σύγγραμμα ἐν β. δυσὶν καὶ ἱστορίαν*; discrepant igitur soli librorum numeri, id quod saepius vel in ipsis Suidae codicibus accidit, qua de re haec conposui exempla: s. *Διονύσιος Κορ. Αἴτια, ἐν βιβλίοις τρισί*, Suidas *ἐν βιβλίῳ ά* (*βίβλῳ* V); s. *Εὔμολπος.. χειροσκοπικὰ ἐν δυσὶ βιβλίοις*, S. *βιβλίον ά*; s. *Μενέλαος.. Θηβαΐδα ἐν βιβλίοις ιβ'*, S. *ιά*; s. *Θεόπομπος.. ἐπὶ τῆς ργ' ὀλυμπιάδος*, S. *qγ'*; s. *Εὐστάθιος.. ἐν τόμοις εἴκοσι*, S. *ϑ'* (*β'* Kusterus); s. *Ἰσοκράτης Θεοδώρου..*

---

[1]) Ceterum ne hoc quidem inprobabile est in Suidae libris post *ὑπόμνημα* ob litterarum aequalitatem nomen *Ὅμηρον* deperiisse.

[2]) De glossa s. *Φίλων* infra (cf. Flachius l. l. p. 70) disputabitur.

[3]) Sed cf. nunc Flachius Viol. ed. p. 440 sq.

[4]) Tamen cf. Flachius l. l. 166, et Violar. ed. p. 514.

ἔτη τρία, S. ς'; s. Πάμφιλος γραμμ. βιβλία οε', qε' Pariss. et Suid. in praefatione, σέ ceteri; s. Πτολεμαῖος (Πινδαρίων).. Ὁμηρικῶν ῥ. βιβλία ς', γ' Pariss., q' ceteri; s. Πύρρων.. κατὰ τὴν ρά ὀλυμπιάδα, ρια' Pariss., ρεαῖ V, ἑκατοστὴν πρώτην ceteri; s. Σέξτος Λίβυς.. σκεπτικὰ ἐν βιβλίοις ε', S. ί (Bernhardyus ιά); s. Ἀριστογένης.. βιβλία τριάκοντα, S. κδ'; περὶ δυνάμεως δύο, S. α'; περὶ δακέτων δ', S. α'; περὶ σπέρματος δύο, S. α'; s. Ἀρχιγένης.. ἔτη πγ', S. ξγ'. Praecipue vero in medicorum scriptis adferendis librorum numeros vacillare docet Suidae glossa s. Θέσσαλος, ubi ἰατρικῶν βιβλία γ' praebent A V E, ἓξ ceteri; praeterea confer apud eundem s. Ῥουτίνας.. σατυρικὰ λβ' (V λ'), s. Πείσανδρος Λαρ... ἐν βιβλίοις ς' (Pariss. duo et B habent ξ'). Ceterum istae discrepantiae Eudociae sive rectius librariorum culpa ortae esse videntur. — Dein glossa s. Ἀριστώνυμος ex indice utique removenda est: verba nimirum καὶ ἄλλα πολλὰ συγγράμματα αὐτοῦ εὑρίσκοντα λόγου ἄξια vel propter vocem συγγράμματα ne possunt quidem ad comicum istum referri. An is adeo fuit praeclarus ut multa alia opera memoria digna conscripsisse dici potuerit? Minime vero. Sed evolvamus Suidam, ac statim videre licet alteram partem articuli Ἀριστοφάνης Βυζάντιος (inde a verbis διέτεινε δέ — συγγράμματα δ' αὐτοῦ πάνυ πολλά) in glossam continuam s. Ἀριστώνυμος esse traiectam, qualis erroris originem exposui „de S. b." p. 412. Verba autem διέτεινε δὲ μέχρι Πτολεμαίου — οζ' ab Aristonymo aliena esse cum E. probe intellexisset servavit tantummodo notitiam συγγράμματα κ. τ. λ., ita ut λόγου ἄξια subiungeret. Unde simul plane adparet totam glossam e Suida non ex epitoma Hesychiana profluxisse. Tum in gl. s. Γενέθλιος post παννυχικούς voculam πέντε (έ) in nostris libris Suidianis intercidisse mihi persuasum est perinde atque in gl. Χάρων Λαμψακηνός numerum γ', quae res vel inde potest concludi quod Suidas ceterorum fere omnium titulorum numeros diligenter enotavit. Nullius autem momenti est verbum ἀνδρῶν in gl. Εὐαγόρας post ἑτέρων λογίων procul dubio ab ipsa Eudocia adpositum (cf. Suid. s. Τιμαγένης Μιλήσιος.. περὶ Ἡρακλείας... καὶ τῶν ἐξ αὐτῆς λογίων ἀνδρῶν).[1]) Porro in gl. Εὐστάθιος verba ἐπιτομὴν ὡραιοτάτην Eudociam chronicon opus manibus versasse arguere videntur. Neque etiam verba in calce glossae s. Εὐθυκλῆς subiecta ἔστι δὲ καὶ οὗτος τῆς ἀρχαίας κωμῳδίας ad antiquiorem fontem redire, sed ex superiore s. Ἕρμιππος (τῆς ἀρχαίας καὶ αὐτὸς κωμικάς) hic repetita esse censeo. Dein verba s. Ζήνων Ἐλεάτης (καθὰ καὶ Ἀριστοτέλης ἐν τῷ Σοφιστῇ φησιν) ex Laert. IX 25 manifesto deprompta sunt. Secuntur scripta s. Θαλῆς enumerata quae per se ipsa admodum incerta (cf. Zellerus Philos. d. Griech. I[4] 174, not. 1) E. titulo καὶ ἐκλείψεως ditavit: quem a Zellero merito neglectum ex Laertii verbis (I, 23: δοκεῖ δὲ... πρῶτος ἀστρολογῆσαι καὶ ἡλιακὰς ἐκλείψεις... προειπεῖν, de quibus cf. Zellerus l. l. 171 n. 1) effictum esse suspicor. Pergimus ad verba s. Θεαίτητος Ἀθηναῖος ante ἀστρολόγος addita (εἰς τὸ ἄκρον), quorum indoles certe eiusmodi est ut ab Eudocia ipsa profecta esse videantur similiter atque quae s. Σιρίκιος post μελέτας leguntur οὐκ ὀλίγας. Sed additamentum s. Μάγνης.. ὁμοίως καὶ γαλεομυομαχίαν a Magnete veteris comoediae poeta prorsus alienum est.[2]) Quae verba vel ideo cadunt in suspitionem quod extra ordinem in fine glossae posita sunt, quanquam Flachius (l. l. 44 n. 1, cf. Viol. p. 498) illa loco suo demota atque post βατράχους traicienda esse coniecit. Ceterum quae praecedunt ἔγραψε καὶ Λυδοὺς καὶ Ψῆνας καὶ Βατράχους. Ποικίλας δ' ἐμιμεῖτο φωνὰς οὗτος e Suida qui glossae Hesychianae versus Aristophanis Equit. 518 sqq. una cum scholio adnexuit petita esse teneo, etsi refragatur Flachius (Mus. Rh. 35, 192) qui Suidae verba ἔγραψε δὲ καὶ Λυδοὺς — Βατράχους ex Hesychio promanasse sibi persuasit.[3]) Verum ut ad titulum illum Violeto servatum praevertamur, a docto lectore eum

[1]) Ceterum cur Eberto (Dissert. Sicul. p. 132) Euagorae libri titulus Ἱστορία περὶ τῆς Αἰγυπτίων βασιλείας qualis apud Eudociam traditur prae Suidiano placuerit parum adsequor.

[2]) cf. Meinekius F. C. G. I 35: „Denique Γαλεωμυομαχίαν fortasse ex integriore Suidae exemplari Magneti tribuit Eudocia p. 302, quo nomine Theodorum Prodromum fabulam inscripsisse constat: Magnetem quominus idem fecisse credamus, prohibet veteris comoediae indoles."

[3]) Nam rem ita conparatam esse vel illud docet quod Hesychius duobus articuli locis Magnetis scripta vix enumeravit, neque vero consentaneum est de singularum particularum traiectione cogitare. Praeterea autem quomodo evenerit ut in gl. s. Φιλόξενος operum bis mentio fiat (cf. Flachius l. l. not. 3), „de S. b." p. 30 demonstrasse mihi videor.

profectum esse reor qui Theodori Prodromi carminis *Γαλεομυομαχία* numeris iambicis compositi (cf. C. D. Ilgenii Hymn. Hom. Hal. 1791) — vixit autem ille duodecimo medio saeculo — cum Magnetis poematis (*Βάτραχοι, Ψῆνες*) similitudinem indicare voluerit, ita ut olim Violarii margini talia adscripta fuisse videantur: *ὁμοίως καὶ Γαλεομυομαχία*. Tum in gl. s. *Πολύζηλος* fabulae *Ἄρεως γοναί* memoriam in libris Suidianis facile oblitterari potuisse, cum praesertim consimiles tituli praecesserint, manifestum est (ceterum cf. Meinekius F. C. G. I, 261, Bernhardyus ad h. gl.).

Porro vix est quod in verbis s. *Παμφίλη, φιλόσοφος καὶ ἱστορική* (S. simpliciter ait *σοφή*) diu conmoremur: namque satis adparet dedita opera Eudociam litteraria eruditissimae mulieris studia adcuratius definivisse (cf. Pamphilae *ἱστορικὰ ὑπομνήματα*...). Iam paulo ampliora reperiuntur additamenta in gl. s. *Πορφύριος*. Primum *ἔδοξε δὲ — τέχνην*, quam notitiam ex Suidae glossa continua (s. *Πορφύριος*) E. desumpsisse amplificasseque (vide Flachium p. 44 not. 3, Viol. ed. p. 609) vel aliunde hausisse videtur (cf. Kusteri notam ad gl. *Πορφύριος*); dein in librorum tabula pro singulis *περὶ γένους καὶ εἴδους καὶ διαφορᾶς καὶ ἰδίου καὶ συμβεβηκότος* magis generaliter et propriae Porphyrii operis inscriptioni (*εἰσαγωγὴ ἢ περὶ τῶν πέντε φωνῶν*) convenientius reddere maluit *τὰς καλουμένας ἑ φωνάς* (post hanc vocem aut distinguendum aut *ἤ* inserendum est), *τῆς Ἀριστοτέλους λογικῆς πραγματείας μεθοδικοὺς εἰσαγωγάς* (cf. Zellerus l. l. II, 2[3], 213, Nitzschius p. 40), tum Flachium in opere *κατὰ Χριστιανῶν λόγους σε'* (immo *ιε'*) enotando fefellit memoria, cum illud in Violario sub finem conlocatum in medio Suidae indice revera enumeretur (*κ. Χ. λ. ιε'*).

Nec potest dubitari quin in gl. s. *Συνέσιος* E. de sua notitia verba *πρὸς Ἀρκάδιον τὸν βασιλέα* post *λόγους βασιλικούς* suppleverit: harum quippe orationum vel elegantissima de regno eaque ad Arcadium imperatorem habita hodie adhuc extat itidem atque opusculum *περὶ προνοίας* a Suida Eudociaque *λόγος θαυμάσιος* significatum eadem ratione qua *ἐπιστολαί* (*τὰς θαυμαζομένας ἐπιστολάς*), qualia utriusque cognitionem liquido arguunt. Nec minus verba s. *Χάρων Ναυκρατίτης· ἱστορίαν περὶ τῶν... ἱερέων καὶ τῆς διαδοχῆς αὐτῶν* — fortasse ad philosophorum *διαδοχῶν* similitudinem — ab Eudocia addita esse reor. Hinc progredimur ad glossam vel maxime notabilem s. *Εὔδοξος*, quade Flachius (l. l. p. 43, 45) parum probabiliter indicasse videtur. Nam qui totum Eudociae articulum paulo adtentius perlustraverit, maiorem eius partem usque ad verba *καὶ ἀστρονομίαν ὑπερφυῶς* (haec fortasse Suidae debentur) ex Laertio (VIII, 86 sq.) conpilatam, relicuam (scilicet usque ad *ἐγένοντο*) e Suida descriptam esse intelleget. Sed quanam ratione E. Laertii verba in suum usum convertit? Talia nimirum tradit: *ἔγραψε περὶ θεῶν καὶ κόσμου καὶ τῶν μετεωρολογουμένων*, quam librorum tabulam — fidem eius nunc non curo — alio ex fonte petitam esse ac quae statim adnectitur (*ἔγραψέ τε πλεῖστα κ. τ. λ.*) vel inde cognoscere licet, quod E. iterum voce (eaque Suidiana) *ἔγραψε* utitur. Sed priorem istam quavis auctoritate inmunem esse neminem fugiet, qui Laertii (VIII, 89) narrationem *τούτου* (*Εὐδόξου*) *διήκουσε Χρύσιππος... τά τε περὶ θεῶν καὶ κόσμου καὶ τῶν μετεωρολογουμένων* legerit. Iam id satis opinor dilucidum erit ex verbis illis, quibus Eudoxi disputationes quarum particeps fuisse dicitur Chrysippus significantur, sollemni Eudociae errore scripta philosophi esse efficta. Vides igitur quam neglegenter fontes illa inspexerit. Dein de Eudoxo haece narrantur: *ἔσχε δὲ καὶ πρὸς ἰατρικὴν θαυμασίως, καὶ πρὸς γεωμετρίαν καὶ ἀστρονομίαν ὑπερφυῶς*, quae item ex Laertio (VIII, 86: *Εὔδοξος.. ἀστρολόγος, γεωμέτρης, ἰατρός.. τὰ δ' ἰατρικὰ* [*διήκουσε*] *Φιλιστίωνος*; 88: *γράψας καὶ ἀστρολογούμενα καὶ γεωμετρούμενα*, cf. etiam ibid. 87 init., 89) conquisiverit. His demum Suidae excerpta (usque ad *ἐγένοντο*) subiciuntur totusque articulus finitur narratiuncula ex Laertio (VIII, 88 fin.) deprompta: *ἐγένοντο δὲ αὐτῷ καὶ θυγατέρες τρεῖς, Ἀκτίς, Φιλτίς, Δελφίς* (nam tali ordine hae tres apud Laertium sese excipiunt, cum Suidas „*Δελφίς*“ ante „*Φιλτίς*“ conlocaverit), *τῷ πατρὶ σχεδὸν παρόμοιοι*. Quod quidem lepide dictum et Laertio et Suidae ignoratum Eudociae per Hesychium innotuisse quis unquam sibi persuadebit? Delectabat profecto mulierem eruditam memoriam de tribus Eudoxi filiabus acceptam ita amplificare, ut patris nobilissimi eas consimiles fuisse fingeret.

Iam inter Flachiana testimonia quinque adhuc restant, quorum primum s. *Ἀθηνόδωρος* (*ἀδελφὸς*

Γρηγορίου) ideo huc adsciscere nolim, quod sicut alterius Athenodori glossam quae praecedit (= Philostr. Vit. Soph. II, 14) ita hanc peculiari auctori nescio cui E. debere videtur, nisi forte ex gl. *Γρηγόριος* (*ὁ καὶ Θεόδωρος*) illud iudicium petiit suoque Marte ad fratrem rettulit. Dein in gl. s. *Ἀντιφῶν* verba *διδασκάλου λόγων ῥητορικῶν* post *Σωφίλου* adiecta una cum tota fere glossa (verba tantummodo *ἦρξε δὲ — Λεοντῖνον* et *λέγεται δὲ — διδάσκαλος* cum Suida concinentia ex hoc inserta sunt, id quod non satis adtendit Flachius p. 20 et Viol. ed. p. 100, qui Hesychio iusto nimium tribuit) ex Philostrato (Vit. Soph. II, 15) E. transscripsit. Sequitur glossa s. *Διοσκορίδης*, in qua additamentum *βοτανικός* (post *ἰατρός*) dignissimum est quod consideretur. Undenam tale quid illa acceperit? Iam vide Bernhardyum (Suid. I, 1403, 5) adnotantem sub finem gl. *περὶ βοτανικῆς* exhibere Suidae Parisinum apud Brequignium p. 17 (quode vide eiusdem praefat. ad Suid. p. LXXXIX): nonne igitur coniectare in promptu est Eudociam hanc ipsam notitiam amplexam Dioscoridis studia voce *βοτανικός* adcuratius delineasse? Sed ulterius progredi licebit. Dudum enim intellectum est conpluries Eudocianas scripturas cum deterioribus Suidae libris, praecipue cum iis unde primae editiones lexici promanarunt mirum in modum concordare (cf. Nitzschius l. l. 43 sq.), qua quidem re Suidae in Violeti articulis auctoritas haud mediocriter stabilitur. Quod nescio an de hac quoque glossa statuendum sit, in qua recentioris libri additamentum ab Eudocia — vix quisquam de interpolatione cogitabit — receptum esse vidimus. Sed paulo difficilius est diiudicare, unde E. s. *Δημοκήδης* notitiam *ἰατρικὰ βιβλία δέκα* (Suid.: *ἰατρ. βιβλίον*) desumpserit, quam ad pleniores Suidae libros referre nolim; immo in vitis et scriptis medicorum alii partim iique paulo uberiores fontes Eudociae suppetiisse videntur, id quod conligas e glossis s. *Ἀριστογένης*, *Ἄψυρτος*, *Ῥοῦφος*, *Σαλούστιος*, nec Flachii iudicio subscribo (l. l. p. 64) qui Eudociam medicorum parvam prae Suida habuisse rationem contendit. Quid? quod verba s. *Ἀναξίμανδρος φιλόσοφος.. οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ πρῶτος ἐτόλμησε τὴν οἰκουμένην ἐν πίνακι γράψαι*, ni omnia fallunt, E. e Laertii (II, 2) verbis *καὶ γῆς καὶ θαλάσσης περίμετρον πρῶτος ἔγραψεν* istum in modum conformavit.

Unum adhuc superest exemplum s. *Χοιρίλος*, quode Flachius (p. 45 sq.) prolixius disputavit, ita tamen ut placitis eius adstipulari nequeam. Qua in glossa Choerili carmina a Suida conmemorata (*ἡ Ἀθηναίων νίκη κατὰ Ξέρξου, Λαμιακά* [?]) Eudociae ignorantur, quae talia potius profundit: *ἔγραψε δὲ ἐπιστολὰς πολλὰς καὶ ἐπιγράμματα καὶ κωμῳδίας* (S. breviter addit: *καὶ ἄλλα τινὰ ποιήματα αὐτοῦ φέρεται*). Inter haec scripta comoedias certe a poeta epico prorsus abhorrere luce clarius est (ceterum cf. Naekii Choeril. p. 58, 101 sqq.). Sed Flachius totam Eudociae permiram narrationem ex alia quadam vita perperam huc invectam esse coniecit his tribus nixus notationibus, quarum condicionem iam paulo enucleatius aperiamus: 1) s. *Ἵππυς* (p. 399 Fl.) apud utrumque in fine glossae verba *οὗτος πρῶτος ἔγραψε παρῳδίαν καὶ χωρίαμβον* (l. *χωλίαμβον*) *καὶ ἄλλα* adnexa cernimus, quae ad superiorem s. *Ἱππῶναξ* pertinere iam Kusterus perspexit. Quae vita quoniam Violarii loco multo inferiore (p. 405) posita est, Eudociam Suidae articulum depravatum conpilasse quis est quin concludat? Nec Flachium (l. l. p. 45) id effugit; at Eudocianorum errorum — sed unum notavi *χωρίαμβον* — ratione habita illam conclusionem aspernatus ad Suidae verba labe adfecta Eudociae glossam manu in peius emendatrici adconmodatam esse sibi persuasit. Qua in ratiocinatione falsa opinione deceptus est. Nam in gravissimum errorem ipsum Suidam esse inductum ostendi „de S. b.“ p. 11. Dein quis tandem ad talem confugiet suspitionem, ut Eudociae verba a lectore male conrecta esse sumat? Eiusmodi homo omni mente foret destitutus! Itaque hac causa tota Flachii sententia denuo vehementer labefactatur. 2) Neque aliter iudico de glossa s. *Σιμμίας* (p. 649), quade conferas conmentationis meae p. 11. Ubi noli cum Flachio (l. l.) erroris originem inde repetere quod lector nescio qui *Σιμμίας* nomen pro voce *Σιμωνίδης* eaque per conpendium exarata habuerit (ceterum cf. infra). 3) Tum utique ad Suidae exemplum referenda videntur verba glossae s. *Στράτων φιλ.* inepte subiuncta *καὶ ἕτερος Ἀμασεὺς φιλόσοφος κ. τ. λ.* (cf. Flach. Viol. ed. p. 653), quae nominibus *Στράβων* et *Στράτων* confusis huc accessisse consentaneum est. Qua in re E. si Hesychianam epitomen adhibuisset manifestum errorem vix admisisset. Sed omnino haec tria exempla causae quae extat in gl. *Χοιρίλος* minime confinia

sunt, quippe in qua E. Suidianis disparia tradiderit. Flachius vero istorum peccatorum librarios insimulat (p. 46) verba in glossa anteriore s. *Χριστόδωρος* (*ἐπιγραμμάτων βιβλία γ', ἐπιστολῶν δ'*) a Suida praetermissa atque olim margini adscripta bis in contextum inrepsisse (semel in gl. *Χοιρίλος*) suspicatus, similiter ac nomen *κωμῳδίας* in glossae s. *Χιωνίδης* margine adnotatum vitam s. *Χριστόδωρος* occupaverit. Talia profecto ad persuadendum neutiquam adposita sunt, nec facile est percipere quonam casu vel duae glossarum quae ne proxime quidem praecedunt particulae illuc sint traiectae. Certiores igitur viae et rationes indagandae sunt, ita scilicet ut in fidem illorum titulorum aliunde inquiratur. Ac primum quidem comoediarum memoriam ad Ecphantidis socium ab Hesychio s. *ἐκκεχοιρίλωμένη* (*Ἐκφαντίδῃ γὰρ τῇ κωμικῷ Χοιρίλος θεράπων ἦν, ὃς συνεποιεῖτο κωμῳδίας*) laudatum referendam esse Naekius coniecit (l. l. p. 58, cf. inprimis p. 51 sq.), „quamquam dubitari potest an hic nec comoedias scripsisse recte dicatur, nec comicus apte appelletur.“ Sed tum subit certe mirari quod praeter Hesychium sola Eudocia Choerili comici notitiam ferme oblitteratam servaverit eamque tam obscura ratione inter alia diversi generis scripta expresserit: quae si certi quicquam de eo cognitum habuisset, id clarius vel distinctius enarrasset. Tamen utut illud est, si Choerili tragici memoriam antecedere reputaveris, non temere coniectare poteris hac ipsa re Eudociam (vel si mavis lectorem aliquem) esse commotam ut huic „alteri“ Choerilo — quem non explicatius descripsit — comoedias adfingeret. Hinc accedimus ad *ἐπιστολάς*, quas ad Choerili de Thalete narrationem (Laert. I, 24, cf. Naekius l. l. p. 182 sq.) relegare non ausim. Maiore contra fide *ἐπιγράμματα* digna esse videntur (cf. Naekius l. l. 102). Sed unde Eudociam talia conlegisse arbitrabimur? Qua in causa certi quicquam enucleari nequit: quanquam inde quod soli Eudociae epistularum epigrammatumque debetur cognitio peculiari ex fonte illa profluxisse non iniuria efficias. An vero — id quod dubitanter conicio — illa Suidae narrationem (*καὶ ἄλλα τινὰ ποιήματα αὐτοῦ φέρεται*) de suo supplere vel continuare periclitata est?[1])

Itaque his omnibus testimoniis acriter examinatis pleraque ista additamenta aliaque alias ob causas ab Hesychiana epitoma aliena esse evicisse nobis videmur.

Caput II.

De glossarum aliquot in Violario condicione.

Alia insuper argumenta suae opinioni patrocinari Flachius (l. l. p. 46 sq.) adfirmat, eaque inde petita quod conplures notationes in Violeto integrae, depravatae vel interpolationibus adfectae in Suidae lexico traditae sint (cf. Bernhardyus l. l. XXXIII sq., Nitzschius l. l. p. 36—39). Quas iam singulas sub examen vocare placet:

1) s. *Ἑκαταῖος.. Μιλήσιος* praebet Eud. *ὑφ' οὗ* (sc. *Ἑκαταίου*) *καὶ ὁ Ἁλικαρνασσεὺς Ἡρόδοτος ὠφέληται νεώτερος ὤν*, Suid. contra *Ἡρόδοτος δὲ ὁ Ἁ. ὠφέληται τούτου νεώτερος ὤν*. Iam Flachius (l. l. 46, not. 1) Eudociae verba integriorem prae se ferre speciem arbitratus Suidiana cum Nitzschio (l. l. p. 38) sic conformavit (p. 67, not. 1): *ὠφέληται ὑπὸ τούτου ν. ὤν*. Qua tamen coniectura abstinendum, immo verbum *τούτου* ad *νεώτερος* referendum est, unde talis evadit sententia: „Herodotus.. (ab Hecataeo) adiutus est, qui hoc iunior fuit.“ Hanc E. verbis *ὑπὸ τούτου* — quae ibi facile suppleas — in fronte positis dein *τούτου* omisso paulo concisius expressit.[2]) Id certe constat Suidiana esse non falsa (v. Flach. Viol. ed. p. 284).

[1]) Similiter unice Eudocia Philoni grammatico (cf. s. *Φίλων*) *ἐπιγράμματα* nec non Christodoro epico (cf. s. *Χριστόδωρος*) *ἐπιγράμματα* et *ἐπιστολάς* adsignavit, quorum titulorum fides citra omnem dubitationem minime posita est. Sic Choerilo quoque nonne epistulas (fortasse ad Archelaum datas) adfingere potuit?

[2]) Ceterum nescio an Eudocia ex Hermogenis loco (*περὶ ἰδεῶν* II, p. 399) parum intellecto verba illa hauserit (*Ἑκαταῖος.. παρ' οὗ δὴ μάλιστα ὠφέληται ὁ Ἡρόδοτος*), quam narrationem H. Hollander (de Hecat. Mil. terrae descriptione p. 3, n. 4) ad Herodoti stilum merito rettulit; praeterea cf. G. Roeperus „Ueber einige Schriftsteller mit Namen Hekataeos“ II (Danzig 1878), p. 19 n. 40.

2) s. *Καικίλιος Καλακτῖνος*, qua in glossa conturbata Eudociae verba *ἔστι δὲ κατὰ στοιχεῖον* genuina esse vix recte iudicaverit Flachius (l. l.). Suidas autem Caecilii scripta tali recenset ordine: *βιβλία δ' αὐτοῦ πολλά · κατὰ Φρυγῶν β', ἔστι δὲ κατὰ στοιχεῖον ἀπόδειξις τοῦ εἰρῆσθαι πᾶσαν λέξιν καλλιρρημοσύνης · ἔστι δὲ ἐκλογὴ λέξεων κατὰ στοιχεῖον.* Eud. contra tradit: *ἔγραψε βιβλία πολλά · κατὰ Φρυγῶν β', ἀποδείξεις τοῦ εἰρῆσθαι πᾶσαν λέξιν καλλ., ἔστι δὲ κατὰ στοιχεῖον...* De utraque scriptura uberius disputavit Nitzschius (p. 36, 37): qui Kusterum in eo errasse rectissime monuit, quod Suidae verba *ἔστι δὲ — καλλιρρημοσύνης* ut per interpretamentum inducta e textu eiecit. At dubitari nequit quin verba potius *ἔστι δὲ ἐκλογὴ — στοιχεῖον* ex fontium indice Suidae lexico praefixo per interpolatorem inmigraverint (cf. Nitzschius l. l. 37). Nec tamen cum Nitzschio id statuamus necesse est verba *ἔστι δὲ κατὰ στοιχεῖον* sede sua demota ante *ἀπόδειξις κ. τ. λ.* locum habuisse; immo verbis istis insiticiis seclusis elocutio *ἔστι δὲ κατὰ στοιχεῖον ἀπόδειξις..* me quidem iudice tolerari potest neque cum Kustero *ἔστι* in *ἔτι* conrigendum videtur, cum illo enuntiato librorum contra Phryges, in quibus cur Caecilius de elegantia vocabulorum non egerit non dispicio[1]), argumentum paucis adumbretur. Eudocia vero spuria illa tunc temporis fortasse nondum in Suidae contextum invecta prudenter omisit totamque narrationem aliquanto distinctius expressit. Quanquam utraque vitio purganda erit, quod ut statim aperiam in voce *καλλιρρημοσύνης* latere videtur, cuius in locum dativum *καλλιρρημοσύνῃ* (per elegantiam dicendi) substituam.[2]) Nec recte Nitzschius Eudociae glossam Suidiana vetustiorem esse inde conlegit quod praebet illa *ἔγραψε βιβλία πολλά*, dein *ἀποδείξεις, σύγκρισιν* (i. e. quarto casu), nec magis credo eadem Suidam in fonte suo legisse propter diversam scripturam vocis *σύγκρισις* altero loco, quo omnes Suidae libri praeter Vm *σύγκρισιν* pro *σύγκρισις* exhibent. Nam *ἔγραψε* verbum E. ipsa adiecit, Suidae vero scriptura *σύγκρισιν*, praesertim cum ceteri tituli recto talo stent, per librariorum socordiam exorta est (cf. etiam Flachii Viol. ed. p. 439 sq.).

3) s. *Ἀλκμὰν Λάκων:* E. alterius Alcmanis memoriam apud Suidam obviam sano iudicio omisit, sed Nitzschio (l. l. p. 37) illa in Eudociae fontibus afuisse videtur.[3]) Eadem Eudociae prudentia in vitis s. *Κόρινna νεωτέρα Θηβαία* et s. *Σαπφὼ Λεσβία* (quae quidem etiam in Suidae cod. A deest, cf. Flachius l. l. 47, et Mus. Rh. n. 35, 221, Bernhardyus ad h. gl., Suid. s. *Φάων*, Neuius de Sapph. p. 3 sq.) ignorandis cernitur, quae tantum abest ut ab Hesychio profectae sint ut interpolatoris nescio cuius sedulitati debeantur.

4) s. *Θεοδόσιος*, quam in glossam Flachius (l. l. 47) paulo diligentius inquirere debebat. Nitzschius (l. l. p. 38) autem duas Suidae glossas ab Eudocia adhibitas esse tribus de causis negat, primum quod illa singula scripta diverso ordine enumeret, dein duo opera a Suida adlata praetereat, duos denique libros (*διαγραφὰς οἰκιῶν ἐν βιβλίοις γ'* et *περὶ οἰκήσεων*) ab illo seorsum recensitos in unum (*διαγραφὰς οἰκιῶν ἐν β. γ' · ἤτοι περὶ οἰκήσεων*) potius consociatos exhibeat. Attamen Suidae vitas circumspectius consideremus:

1) *Θεοδόσιος φιλόσοφος · ἔγραψε σφαιρικὰ ἐν βιβλίοις γ', ὑπόμνημα εἰς τὰ Θεωδοῦ κεφάλαια, περὶ ἡμερῶν καὶ νυκτῶν β', ὑπόμνημα εἰς τὸ Ἀρχιμήδους ἐφόδιον, διαγραφὰς οἰκιῶν ἐν βιβλίοις γ', σκεπτικὰ κεφάλαια, ἀστρολογικά, περὶ οἰκήσεων.*

2) *Θεοδόσιος.. ἔγριψε δι' ἐπῶν εἰς τὸ ἔαρ, καὶ ἕτερα διάφορα · ἦν δὲ Τριπολίτης.*
At Eudocia talem praestat articulum: *Θ., φιλόσοφος Τριπολίτης · ἔγραψε σφαιρικὰ ἐν βιβλίοις γ', διαγραφὰς οἰκιῶν ἐν βιβλίοις γ', ἤτοι περὶ οἰκήσεων, ὑπόμνημα εἰς τὰ Θευδοῦ κεφάλαια, περὶ ἡμερῶν καὶ νυκτῶν β', ὑπόμνημα εἰς τὸ Ἀρχιμήδους ἐφόδιον · καὶ δι' ἐπῶν εἰς ἔαρ, καὶ ἕτερα διάφορα* (sed vide nunc Flach. Viol. p. 370).

---

[1]) Ceterum hoc opus adversus Asianos rhetores conpositum fuisse opinor, cf. Dionys. Hal. iud. de antiqu. orr. praef. 1.

[2]) Cetera conmenta velut Hermanni, Bernhardyi (cf. ad Suid.), Nitzschii (*εὑρέσθαι* pro *εἰρῆσθαι*, ceterum de perfecti usu cf. Suid. s. *Πτολεμαῖος ὁ Ἀριστ... π. · τὰ ὁμοίως εἰρημένα τοῖς τραγ.*) rei non multum opitulantur, cf. praeterea Th. Burckhardt Caecilii rhet. fragm. p. 15 sq.

[3]) Ceterum cf. D. Volkmannus de Suid. biogr. quaestt. nov. (1873), p. IX, not. 9, qui talia in Demetrii Magnetis fragmenta recipere non debuit.

In glossa priore Suidam Theodosium mathematicum cum sceptico confudisse dudum perspectum est (cf. e. g. Menagius in Laert. Diog. IX, 116 et IX, 70). Librum autem *σκεπτικὰ κεφάλαια* (cf. Laert. IX, 70) Eudociae ignotum unice in philosophum convenire patet: cuius argumentum ad praegressum *ὑπόμνημα εἰς τὰ θευδᾶ κεφάλαια* redire merito statuit Bernhardyus (cf. etiam Menag. in Laert. IX, 116). Qua re pensitata utrumque opus non diversum fuisse suspicari licebit. Quod si concesseris, ad Suidae glossam verba *σκεπτικὰ κεφάλαια* ex Laertio esse adscripta facile tibi persuadeas. Eudocia vero, quamvis duos homines itidem confuderit, opera tamen *διαγραφὰς οἰκιῶν* et *περὶ οἰκήσεων* non seiuncta fuisse intellexit eaque titulo *Σφαιρικά* statim adnexuit. Iam praetermisso libro qui interiacet *ἀστρολογικά* Suidae rursus ordinem tenuit. Utramque vero glossam ab ipsa Eudocia in unam conflatam esse[1]) vel inde elucet quod alteram vitam priori continuo subiunxit, notitiam tamen *ἦν δὲ Τριπολίτης*, quoniam in priore patriae nomen desideratur, ad unum Theodosium rettulit.

5) s. *Ἰσοκράτης Ἀμύκλα*, cuius in scriptis recensendis E. casu accusativo usa est omisso vocabulo *ἔγραψεν* similive (*λόγους πέντε*): quam libros citandi rationem Flachius (Nitzschium secutus) vetustiorem esse quam Suidae structuram (*καὶ λόγοι αὐτοῦ ε' · Ἀμφικτυωνικός κ. τ. λ.*) arbitratus Eudociae articulum principis fontis integritatem prae se ferre contendit. Sed parum probabiliter hoc inde conclusisse videtur. Immo ubicunque verbum *ἔγραψε* requiritur, Eudociae (nec non Suidae) neglegentia id omissum esse confido. Porro nulla erat Eudociae causa, cur eandem constanter servaret Suidae consuetudinem. An quis ibit infitias mulieri doctae saepenumero illius structuram variare placuisse? Certe tam anxie vix presserit Suidae vestigia. Ceterum tantum abest ut iste Suidae in libris citandis usus antiquiorem redoleat originem, ut contrarium fere evenisse videatur. Velut indices (fabularum potissimum) ex priscis catalogis deprompti alphabeticis nominativo casu adhibito plerumque recensentur (cf. s. *Λυκόφρων*, *Ἀπολλόδωρος*, *Διογένης*, *Θέσπις*, *Ἰοφῶν*, *Κλεοφῶν*, *Νικόμαχος*, *Σπίνθαρος*, *Τιμησίθεος*, *Φιλοκλῆς*, *Φρύνιχος τραγικός*; *Χιωνίδης*, *Κράτης*, *Εὔπολις*, *Φρύνιχος κωμικός*, *Πλάτων κωμ.*, *Καλλίας*, *Λεύκων*, *Μεταγένης*, *Στράττις*, *Νικοχάρης*, *Νικοφῶν*, *Φιλύλλιος*, *Σαννυρίων*, *Ἀπολλοφάνης*, *Κηφισόδωρος*, *Ἀραρώς*, *Φιλίσκος*, *Φόρμος* [*ἔγραψε δράματα ζ', ἃ ἐστι ταῦτα*]); verum etiam alibi eadem ratio per se admodum consentanea nobis obvia est (cf. e. g. s. *Ἡσίοδος*, *Εὐφορίων*, *Σιμωνίδης Κεῖος*, *Λυκοῦργος*, *Καλλίμαχος*, *Θεόφραστος*, *Ξενοφῶν*, *Ῥοῦφος Ἐφέσιος*). Quae si recte disputavimus, omnium id genus argumentorum vis admodum infringitur. Atque ipsum Suidam in citandi consuetudine parum sibi constitisse sat multis exemplis potest conprobari. In glossa denique s. *Λίνος*, quam Nitzschius in medium protulit, Eudociam a vera structura temere defecisse dilucidum est (cf. Flachius Viol. ed. p. 464).

6) s. *Καρκίνος* E. pro ineptis Suidae verbis *Σεμέλη, ἡ ἀρχή, ὡς Ἀθήναιος...* consideratius exhibet *Σεμέλη καὶ ἄλλα*. Nam Suidas qui locum Athenaei (XIII, 559 f: *Καρκίνος... ἐν Σεμέλῃ, ἧς ἀρχή · „ὦ νύκτες κ. τ. λ.“*) leviter inspexit dare voluit: *ἧς ἀρχή κ. τ. λ.* Illa vero huius errore intellecto ne in eandem incurreret reprehensionem pro ineptiis istis *καὶ ἄλλα* reponere satius duxit: unde iterum adparet illius ducem fuisse Suidam.

7) s. *Κράτης.. κωμικός* E. non minus sincero iudicio usa Suidae verba abiecit *ἔγραψε δὲ καὶ καταλογάδην τινά*, quae a comico remota atque ad grammaticum potius referenda nescio an recentiore demum aetate adiecta sint.

8) s. *Μάναιχμος Ἀλ.* quod E. *εἰς τὴν Πλάτωνος πολιτείαν* pro *εἰς τὰς Πλ. πολιτείας* emendavit (cf. etiam s. *Ποτάμων Ἀλεξανδρεύς*), Platonis opera eam cognita habuisse conmonstrat; Suidae autem Aristotelis *πολιτεῖαι* obversatae esse videntur.

9) s. *Παλαίφατος Ἀβυδηνός* apud Suidam legitur *παιδικὰ δ' Ἀριστοτέλους... ὡς Φίλων ἐν τῷ ε̄ι στοιχείῳ τοῦ περὶ παραδόξου ἱστορίας βιβλίον ά*, quae paulo aptius E. reddidit verbis *ἐν τῷ ν' στοιχείῳ — πρώτου βιβλίου*, cum *βιβλίον ά* nihil habeat quo referatur. At vocibus *πρώτου βιβλίου*

[1]) Quo iure id fecerit nequit discerni, nec utri Theodosio nomen *Τριπολίτης* conveniat exploratum est; ceterum cf. Menagius in Laert. IX, 70, Bernhardyus ad Suid. s. v., Meinekius Anal. Alex. p. VII.

pristinam scripturam esse servatam vix crediderim, immo singulare illud *βιβλίον ἀ* quod respiciatur dignissimum est. Eudociae quidem haec verba quavis iunctura carentia facillime conrigere licuit. Tota vero glossa peius habita est quam quae ad causam disceptandam cum fructu adhiberi possit (cf. nunc Flachius Viol. ed. p. 584).[1])

10) s. *Πείσανδρος Νέστορος...* scripturam Eudocianam *ἡρωϊκῶν θεογαμιῶν* Suidae (*Ἡραϊκῶν θ.*) praeferendam esse (cf. Flach. Viol. p. 597) ut Zosimi (Hist. V, 29, p. 461 Reit.) auctoritate munitam diffido. Praeter Zosimum autem (qui narrat: *ὡς ὁ ποιητὴς ἱστορεῖ Πείσανδρος, ὁ τῇ τῶν ἡρωικῶν θεογαμιῶν ἐπιγραφῇ* [an *ἀπογραφῇ?*] *πᾶσαν ὡς εἰπεῖν ἱστορίαν περιλαβών*) Macrobii Saturn. V, 2 conparare iuvat, ubi legitur: „qui inter Graecos poetas eminet opere, quod a nuptiis Iovis et Iunonis incipiens universas historias, quae mediis (?) omnibus saeculis usque ad aetatem ipsius Pisandri contigerunt, in unam seriem coactas redegit, et unum ex diversis hiatibus temporum corpus effecit," quae quin ad hoc ipsum opus pertineant ecquis dubitaverit? Quod si a Iovis Iunonisque nuptiis initium cepit, vel ex ea re totum scriptum nomen accipere potuisse *Ἡραϊκαὶ θεογαμίαι* — quod quidem multo exquisitius est quam „*ἡρωϊκαὶ θεογαμίαι*" certe Macrobii verbis parum conmendatum — nemo diffitebitur (ceterum cf. Welckerus Cycl. ep. p. 99, et Kusteri adnot. ad Suid.). Ac ne Zosimi quidem verbis (*τῇ τῶν ἡρωϊκῶν θεογαμιῶν ἐπιγραφῇ*) genuina operis inscriptio inesse videtur, utpote in quibus ni fallor articulus abesse debuerit.

11) s. *Πρόκλος ὁ Λύκιος:* Suidae verba sub finem adiuncta (*οὗτός ἐστι — ἀνόητον*) E. merito abiecit; noluit nimirum recoquere opprobia in Proclum coacervata. Ceterum cur ista recens demum accessisse arbitremur (cf. Bernhardyus ad Suid., Nitzschius p. 39) vix adsequor. Neque illa Fr. Nietzschii opinioni (Mus. Rh. 22, 193) quicquam favere Nitzschius (l. l.) verissime monuit.

12) s. *Ἵππυς:* Flachius (p. 47) Eudociae scripturam *Ἀρχαιολογικῶν τρία* Suidianae *Ἀργολικῶν τρία* (quam A*V praebent, cum unus Parisinus *ἀρχολογικῶν* habeat) cum Bastio (Comm. palaeogr. p. 754) iniuria praetulit, cum hanc Gaisfordius Bernhardyus Gutschmidius (cf. Flachius p. 47, n. 2) iure defensitaverint: ac ne convenit quidem libri inscriptio qualis est *Ἀρχαιολογικῶν* scriptori qui ante Herodotum floruit.[2])

13) s. *Φρύνιχος κωμικός:* Quod apud Suidam fabula *Σάτυροι* sub finem iteratur (Eudocia recte omisit), id librariorum incuria factum est (cf. Wachsmuthius Symb. Phil. Bonn. p. 151), minime vero duas ille descripsit tabulas. Sed

14) s. *Ἀνακρέων* duos Suidae indices librorum ad diversos fontes redire (cf. de Suid. biogr. p. 432, 476) vel inde consequitur quod alter in calce vitae positus est: quem Suidae ipsi deberi (propter memoriam *καὶ τὰ καλούμενα Ἀνακρεόντεια*) veri simile est, Eudociam autem a Suida pendere librorum tabula docemur: *ἔγραψεν ἐλεγεῖα καὶ ἰάμβους.. ἤτοι* (an *ἔτι δὲ?* Flachius Viol. p. 103 *καὶ* coniecit) *παροίνια μέλη καὶ τὰ καλ. Ἀνακρ.*, qua in excerpenda alterum *ἰάμβους* eam praeteriisse consentaneum est.

15) s. *Πυθαγόρας* Eudocia una recte praebere *ἔγραψε δύο μόνον βιβλία* dicitur (cf. l. l. 48), cum Suidas *μόνα τρία βιβλία* dederit. Verum illa ineptam huius loquendi rationem emendavit. Suidas nimirum talia scripsit: *συνέγραψε... μόνα τρία βιβλία, παιδευτικόν, πολιτικόν· τὸ δὲ φερόμενον τρίτον ὡς Πυθαγόρου Λύσιδός ἐστι... τινὲς δὲ ἀνατιθέασιν αὐτῷ καὶ τὰ χρυσᾶ ἔπη.* Quae ex Laertio (VIII, 6: *γέγραπται τῷ Πυθαγόρᾳ συγγράμματα τρία, παιδ., πολ., φυσικόν· τὸ δὲ φερόμενον ὡς Πυθαγόρου Λύσιδός ἐστι;* cetera itidem atque Suidas) promanasse manifestum est (cf. Nitzschius Mus. Rh. 24, 223), Laertius autem opus illud Lysidi volgo adscriptum a tribus anterioribus esse diversum distincte significavit et notissima *χρυσᾶ ἔπη* (cf. Zellerus Philos. d. Griech. I[4], p. 258, n.

[1]) Alii aliter verba conrupta sanare conati sunt; omnium vero emendandi rationum Nitzschiana (p. 39) infelicissima est (*ἐν τῷ * στοιχείῳ τοῦ περὶ ἐνδόξων ἱστορίας πρώτου βιβλίου*), quoniam Philo libros *περὶ παραδόξου ἱστορίας* sex conscripsisse ipse testatur (cf. Muelleri F. H. G. III, 564, 6: *περὶ ἧς μοι τρία πεφιλοτίμηται βιβλία τὴν ἐπιγραφὴν ἔχοντα παραδόξου ἱστορίας*). Inter ceteras praecipua laude dignae sunt Rohdiana (Mus. Rh. n. 34, 561, not. 2), Gutschmidiana (vide Flachius p. 47), Nauckiana (Phil. V, 703), quas singulas examinare ab hoc loco alienum est.

[2]) Fragmentum certe VIII (in Muelleri F. H. G. II, 15) ex Hippyis Argolicis petitum est. — De glossis s. *Ἐπιμενίδης* et s. *Αἴσημος* Flachius (p. 47, n. 2) recte iudicavit. Sed in Theognidea rem aliter esse conparatam explicatius disserui „de S. b." 425 sq.

3 sqq.) intellegi voluit. At Suidas Laertii verbis τὸ δὲ φερόμενον κ. τ. λ. ad tertium (φυσικόν) perperam relatis — quapropter statim χρυσᾶ ἔπη seorsum recensuit — librum φυσικόν tanquam subditicium omisit (quare noli cum Menagio [in Laert. VIII, 6] φυσικόν interponere) atque post παιδευτικόν vocem τρίτον adnexuit. Quod cum parum concinne expressum esse vidisset Eudocia pro τρία restituit δύο βιβλία. Denique in gl.

16) s. Ῥοῦφος Ἐφέσιος Eudociae inscriptionem libri περὶ οἴνου καὶ μέλιτος ἕν (i. e. „de utroque unum libellum") ad verum propius accedere quam Suidae περὶ οἴνου ἕν, περὶ μέλιτος Flachius (l. l. et Viol. ed. p. 622) iniuria statuit, immo duos illa libros (ceterum post μέλιτος „ἕν" intercidisse censeo) in unum contraxisse videtur.

Adparet igitur ne ex hac quidem parte toti Flachianae opinioni ullum fulcrum adferri, ac si quae Eudociae notationes meliore praecellunt condicione, id huius ipsius prudentiae plerumque debetur.

Caput III.

De vitis nonnullis quae neque apud Suidam neque in ullo fontium ab Eudocia volgo adhibitorum reperiuntur.

Non desunt alia argumenta quibus Flachius (l. l. 48 sq.) suam sententiam conroborare studuit. Quippe conplures notationes apud Eudociam inveniuntur quae et Suidae ignorantur neque in ceteris Violeti fontibus (cf. Flachius l. l.) usquam occurrunt (cf. etiam Nitzschius l. l. 25 sq.) Iam quaestio exoritur num ex Hesychio illas E. mutuata sit. Percensere autem lubet hasce:

1) s. Ἀλέξανδρος Μύνδιος, ἱστορικός, διαλαμβάνει περὶ Γοργόνος, quae verba ex Athen. V, 221 b esse petita — vix tamen interpolata — Flachius ipse concedit (p. 49, n. 1, cf. etiam Viol. ed. p. 85 sq.). Ceterum idem iam coniecerat Meinekius Exerc. phil. in Athen. I, 19 (vid. etiam Vossius de Hist. Gr. p. 382 et adn. 29 ed. Westerm.).

2) s. Ἀρίσταν δρος ὁ μάντις — δέκα: quae peculiari auctori eique nobis ignoto debere videtur E. pariter ac verba quae secuntur Eustathii (ad Dionys. Perieg. 747)[1]) sunt (cf. Flach. Viol. ed. p. 127).

3) s. Δημήτριος Ἰλιεύς· ἔγραψε Τρωϊκὰ ἐν βιβλίοις εἴκοσι, quae ex proprio fonte manasse vel illud evincit, quod glossa extra volgarem litterarum ordinem quem in ceteris observare licet posita est (cf. Nitzschius l. l. 27).[2]) Ceterum hic Demetrius fortasse non diversus est a Demetrio Scepsio qui Τρωικὸν διάκοσμον triginta voluminibus conscripsit (cf. Strab. XIII, p. 603, Muelleri F. H. G. IV 382*, Stiehlius Phil. V, 528 sq., Flachius l. l.).

4) Δέξιππος, κωμικός· δράματα αὐτοῦ Ἀντιπορνοβοσκός, Φιλάργυρος, Ἱστοριογράφος, Διαδικαζόμενοι, quam vitam a Nitzschio praetermissam Flachius (p. 49) notavit (sed vide nunc eundem Mus. Rh. n. 35, 220 et Viol. ed. p. 229) quamvis inmerito (vid. adnot. Bernhardyi et Westermanni): namque id luce clarius est nomen Δέξιππος Eudocianum genuina voce Διώξιππος depravata esse enatum. Ceterum eadem conruptela apud Suidam s. Κωρυκαῖος deprehenditur, unde Fabricius (Bibl. Gr. II p. 436) de Dexippo comico somniavit (cf. Meinekius F. C. G. I, 485.).

5) s. Δῶρις (i. e. Δοῦρις, cf. Hulleman Durid. fragm. p. 3) ἱστορικός· ἔγραψεν ἱστορίαν Λιβυκὴν καὶ Περσικήν: ne huius quidem glossae originem perspectam habet Nitzschius (cf. Flachius l. l.). Tamen verba priora (usque ad καὶ Περσικήν) Eudociae potuit suppeditare Suidae glossa s. Λαμία (ταύτην ἐν τῇ Λιβύῃ Δοῦρις ἐν δευτέρῳ Λιβυκῶν ἱστορεῖ.., ubi Δοῦρις habent duo libri Parisini), sed cf. Reinesii notam (in Suid. ed. Bernh. II, 496, n. 4); praeterea autem idem Λιβυκῶν opus laudatur scholiastae Aristoph. Vesp. 1035 (ed. Duebn.), Photio v. Λαμία, Tzetzae ad Lycophr. 847 (cf. Apost. prov. IX 33). At unde notitiam Περσικὴν ἱστορίαν, quae infirmae fidei est, ista adripuerit me quidem fugit, nisi quis eam e vita continua (s. Δίων· Περσικά) huc invasisse arbitrabitur (cf. nunc Flachii Viol. ed. p. 223).

[1]) Nescio an hic Aristander idem sit atque ille qui de ostentis multis voluminibus exposuit, vid. Plin. N. H. XVII 25, ind. libr. VIII. X. XIV. XV. XVIII., Vossium l. l. p. 400 et adn. 100.

[2]) De Hesychiana glossae origine dubitat Flachius Viol. ed. p. 221.

6) s. *Νόννος Πανοπολίτης..*, *λογιώτατος, ὁ καὶ τὸν παρθένον Ἰωάννην παραφράσας δι' ἐπῶν*, quae verba non eiusmodi sunt ut ab Eudocia ipsa profecta esse nequeant (ceterum cf. Flachius l. l. 49, n. 1 fin. et Viol. ed. p. 514).

Ceteras quae huc pertinent vitas iam Nitzschius (l. l. 25 sq.) sub examen vocavit.[1]) Videmus autem quam inmerito Flachius (p. 49) has omnes uni Hesychio vindicaverit.

Caput IV.

Qualis ratio inter Violarium et Laertium Philostratumque intercedat.

Sicut in Suidae philosophorum notationibus pernoscendis id praecipue quaeritur, qualis ratio inter Suidam (sive Hesychium) atque Laertium intercedat, ita in iisdem vitis Eudociae sedulo investigandum est quatenus in singulis illa Laertium ipsum adierit, quas particulas e Suida deprompserit.[2]) Atque in priore illa disquisitione cum altera arte conexa Fr. Nietzschium (Mus. Rh. n. 24, 211 sqq.) multum elaborasse notum est, quanquam suam opinionem — censet nimirum Demetrium Magnetem communem Laertii Hesychiique auctorem fuisse — neque aliis nec mihi ullo nomine persuasit (cf. „de S. b.“ 470 sq.). Atque etiam Flachius illi adversatus est, cuius quidem argumenta (cf. p. 50 sq.), quoniam ad Eudociae vitas rectius aestimandas haud levis sunt momenti, paululum examinare placet.[3]) Cave tamen id tibi persuadeas, Flachium suis nixum rationibus conprobasse Eudociam philosophorum vitis Suidianis nequaquam esse usam. Sed nego omnino primum argumentum quo Nietzschii placita inpugnavit vero solidoque niti fundamento. An Laertii vitae aliquando fuere pleniores quam quas nobis inspicere licet? Quod minime confirmatur glossis s. *Ἀντισθένης* (quam E. ad verbum fere e Laertio VI, 1 sq. descripsit, sed verba extrema *ἑβδομηκοντούτης γενόμενος* nescio unde hauserit), s. *Ἀρίστιππος Ἀριτάδου* (verba *Ἀρίστιπποι τέσσαρες γεγόνασι* et *περὶ οὗ τε ὁ λόγος* e Laertio II, 83 fluxere, sed noluit E. illam narrationem e Laertio mutuari, quippe quam in brevius contractam inveniret apud Suidam s. *Ἀρίστιππος*, quocum fere concordat adiectis nonnullis de Aristippi vita Laertianis),[4]) s. *θεανώ* (verba *θυγάτηρ μὲν Πυθώνακτος* sicut tota glossa e Suida qui peculiarem sequitur auctorem petita sunt), s. *Ἐπιμενίδης* (*καὶ Βλαίστης* item Suidae vitae quae a Laertiana [I, 109 sq.] satis recedit debetur).[5]) Praeterea dubitari nequit quin E. nonnulla cognomina quae extant apud Suidam (cf. Nietzschius l. l. 215 sq.) mero casu omiserit, quae multum abest ut per Suidam demum aliunde (vel si ponimus Hesychium e Demetrio Magnete, vid. Flachium p. 52) accesserint. At iure Flachius Hesychii philosophorum librorum tabulas a Laertio abiudicavit — sed indices s. *Πυθαγόρας* et s. *Πιττακός* eximendi erant —, quanquam ne in hac quidem causa veram rei rationem perspexit. Nam indices ex eodem fonte quem in vitis plerumque adhibuit Hesychius una transscripsit, non seorsum recensuit aut data opera conquisivit. Porro de aliis nonnullis vitis breviter disputandum est, quarum indolem Nietzschium penitus perspectam habuisse Flachius negavit (p. 52 sq.). Ac primum

---

[1]) Idem tamen iniuria glossam s. *Ἰστιαῖος Σάμιος* huc relegavit, quam e Nonn. II, 10 (Cosm. p. 137) oriundam esse Flachius docuit (p. 144 et Viol. ed. p. 398).

[2]) cf. Flachius l. l. 49 sqq. Eum tamen non satis adsequor ita loquentem (l. l.): „Dass Suidas und Eudokia unabhängig von einander diese Schrift (Laertiana excerpta intellegere videtur) compilirt, d. h. bruchstückweise abgeschrieben haben, steht ebenso fest, wie, dass Hesychios selbst niemals abgeschrieben, sondern stets aus einem grossen Artikel einen kleinen redigirend zusammengezogen hat, also auch dasselbe Verfahren bei Diogenes beobachtet haben wird,“ quae omnia nimis confidenter in medium prolata sunt.

[3]) Quanquam is omnia argumenta quae Nietzschii illam sententiam dissuadeant minime exhausit.

[4]) Flachius Viol. p. 122 errat, cum *Ἀριτάδου* nomen in Suidae lexico deesse ait.

[5]) Recte iudicat Flachius (p. 51) de aliquot in patrum nominibus adferendis Hesychii additamentis, perverse autem de gl. s. *Ἡράκλειτος, Σωκράτης, Θεόφραστος*, quarum ubertas e proprio potius Hesychii fonte derivanda videtur

quidem s. *Ἀναξίμανδρος* res ita conparata est, ut prima verba cum Suida concinant (usque ad *θαλεω*), dein excerpta e Laertio (II, 1) adnectantur (— *πῦρ*), tum Suidae narratio repetatur (— *ἀπλανῶν*) insertis tamen Laertianis (*καὶ ἔστησεν-κατεσκεύασεν*), cetera denique rursus e Laertio conpilata sint. Suidae autem narrationem quae ad peculiarem fontem recedit E. reddidit, sed frustulis Laertianis locupletavit. Itaque noli opinari Laertii contextum lacunis esse adfectum.[1]) Dein s. *Ἀναξιμένης* E. Suidam qui Laertium ignorat expressit usque ad *Μιλησίου*, inde Laertiana delibavit (cf. Viol. ed. p. 94). Contra s. *Διογένης Σιν.* praeter scholia ad Greg. Naz. (Nonn. I, 25) solum Laertium secuta esse videtur (cf. Viol. ed. p. 239).[2]) Adparet igitur ab Eudocia nusquam esse adhibitum Hesychium. Nec poterit illi opinioni inde peti praesidium, quod E. Porphyrii historiae philosophae excerpta „Suidiana" praetermisisse a Flachio (p. 55) dicitur. Quippe Hesychius non Suidas Porphyrium — de Aristocle, quem a Suida adhibitum esse fragmentorum superstitum indoles vetare videtur, res admodum dubia est — aliquotiens adiit (cf. Rohdius Mus. Rh. n. 33, 203 not.). Sed ne desunt quidem in Violeto copiae Porphyrianae, velut s. *Φερεκύδης Σύριος*, qua de glossa mira proposuit Flachius (l. l.), verba *διδαχθῆναι — λόγος* et *κτησάμενος — βιβλία*; at notitiam *καὶ τετέχθαι περὶ τὴν με' ὀλ.* Rohdius (l. l. 204) aliunde iure derivavit. Suidiana igitur reddit Eudocia.[3])

Proximum est ut exponamus, qualis ratio inter Eudociam et Philostrati vitas sophistarum intercedat. Quam in rem parum diligenter inquisivisse Flachius (p. 56 sq., cf. p. 20 sq.) videtur.[4]) Sic in gl. *Ἀριστείδης* integrum Hesychium Suidas, Eudocia Philostratum (II, 9) descripsisse dicitur. Sed cum Violarium (itemque S.) verbis *τῆς νῦν Βιθυνίας* et *φιλοσόφου — γενομένου* abundet, Flachius Philostrati opus aliquando uberius finxit. Haec mera somnia sunt. Nam vita Hesychiana e proprio eoque Philostrateis adfini fonte profluxit (notitia geographica Philoni debetur), E. vero Suidae glossam usque ad *γενομένου* excerpsit, deinde Philostratum conpilavit. Sed omnino vitae illae quas Flachius designavit num Philostrateae sunt? Primum s. *Ἀδριανός* Hesychius minime Philostratum (II, 10) reddidit (cf. *ἀντισχολαστὴς — γενόμενος*), cum E. eum descripserit librorum tamen tabula e Suida adiecta. Dein s. *Ἀριστοκλῆς* illa Suidae glossam in fronte et in fine adhibuit insertis Philostrateis (II, 3). Tum valde ambiguum est num tota vita s. *Ἀσπάσιος Ῥαβ.* — praeter indicem — e Philostrato petita sit (cf. *γεγονὼς — Μαμαίας*). Certe verba usque ad *ἠκροάσατο* auctorem resipiunt in ceteris id genus vitis Suidae adhibitum, dein scriptis enumeratis e Philostrato (II, 33) nonnulla subiecta sunt. E. autem (— *ἐπαίδευσεν*) Philostratum excerpsit (cf. Viol. ed. p. 113). Denique s. *Ἑρμογένης* Philostratum quamvis non eodem ordine illa secuta est, additis insuper e Suida verbis *ὁ ἐπίκλην Ξυστῆρ* et *Μουσωνίῳ τῷ φιλοσόφῳ* librorumque tabula (cf. Viol. ed. p. 288). Patet igitur Eudociam praeter Philostratum adiisse unum Suidam. Nec vero illud credibile est Hesychium librorum indices aliunde ac vitas sophistarum delibasse, id quod ne in relicuis quidem glossis fecisse videtur, immo primarius vitae enarrator etiam opera scriptorum illi suppeditaverit.[5]) — Nec denique Flachius (p. 59 sq.) mihi persuasit in eiusmodi vitis, quas Suidam ipsum aliunde descripsisse constat, genuinam Hesychii narrationem servasse Eudociam. Nam in glossis

[1]) Ceterum cf. F. Bahnsch Quaest. de Diog. Laert. fontt. initia (Gumbinnae 1868) p. 22, V. Roseus Herm. I, 370 sq.

[2]) Quid probet vita s. *Ἀριστιππος* (cf. Flach. p. 54) nescio. Certe Hesychii fundus usque ad *ἦρξατο* pertinet, relicua Laertio (II, 65. 66. 77 sq. 86) debentur. Pariterque nil docet glossa *Βίαντος.. δίκη* e Laertio (I, 84) certe deprompta.

[3]) Cur Flachius (p. 56) totam Suidae vitam s. *Ὁμήρου* Hesychio derogaverit non dispicio; E. vero alios fontes secuta glossis biographicis illam non inseruit.

[4]) Ceterum quae Nitzschius (p. 19 sq.) de ratione qua Philostratea et Laertiana excerpta sint exposuit summatim conprobo, neque ea Flachii (p. 24) debilibus argumentis labefactantur.

[5]) Qua de causa mire argumentatus est Flachius p. 58, 59, ubi de origine testimoniorum adhuc apud Suidam extantium prave iudicavit: nam si singula adcuratissime perpenderis, pleraque a primariis Hesychii fontibus derivanda esse intelleges. Qua de re alibi pleniora edisseram. — Denique idem frustra quaesivit (p. 57 sq.), num Hesychius interdum scholia Aristophanea adhibuerit. Nam solus S. illa decerpsit, hic Eudociae rursus conmodavit.

Γέσιος et *Δομνῖνος* haec Suidam conpilavit, id quod verba (s. *Δομνῖνος*) *ὥς φησι Δαμάσκιος* ab hoc certe profecta liquido conmonstrant. Deerant igitur illae apud Hesychium. Dein singula in gl. *Εὐοδιανός* E. ex Philostrato (Vit. Soph. II, 16) conquisivit, rursus vita s. *Θέων σοφ.* (cf. etiam gl. *Ἱεροκλῆς* et *Λαχάρης*) e Suida deprompsit — qui Damascium solum adhibuit —, e cuius narratione leviter inspecta librorum indicem perperam confecit (cf. Bernhardyus et Nitzschius p. 30). In ceteris exemplis, quae singula enarrare longum est, Suidae verba in brevius esse coacta particulis quibusdam omissis quivis facile sentiat. Verba autem vitae *Ἄψυρτος* apud Suidam subiecta (*ἔγραψε καὶ Κίμων*, i. e. *Σίμων κ. τ. λ.*) E. merito ignorat, quippe quae lectoris alicuius industriae debeantur (cf. Schneider in Xenoph. de re equ. p. 185 et Bernhardyi notam). Postremo in Callimachi operum tabula e Suida prudenter excerpta Flachius a vero prorsus aberravit; nam quae plura exhibet Suidas minime ipse congessit sed ex „epitoma“ descripsit (cf. „de S. b.“ 460 sqq.).

Caput V.

De Violarii vitis cum Suidianis summatim congruis, singillatim ab illis diversis.

Quae omnia si probabiliter disputavimus, tantum abest ut Eudociae notationes, quaecunque cum Suidianis in universum conspirant, in paucis iisque levioribus rebus ab illis discrepant [1]), a conmuni fonte derivemus (cf. Flachius p. 62—71), ut Suidae contra vindicemus; ac si quae differentiae vel accessiones apud illam reperiuntur, eae non id genus sunt ut prius illud statuere cogamur. Quare eas potissimum quas suae opinioni favere Flachius existumavit paulo acrius consideremus.

s. *Ἀρίων* in exitu S. exhibet *φυλάττει δὲ τὸ ω ἐπὶ γενικῆς*, quam notam glossographicam ad peculiarem de genetivo nominis *Ἀρίων* formando glossam relego atque ab Hesychio alienam esse iudico; hanc descripsit parum considerate E. (*φυλάττει τὸ ω*).

s. *Δαμόφιλος* E. Suidae verba Hesychiana (cf. „de S. b.“ 439) *ἐξ ὧν — θήκαις* (cf. Viol. ed. p. 232) prudenter omisit. Ceterum apud illum librorum scriptura tuenda est: *Φιλόβιβλος · πρῶτος περὶ ἀ. βιβλίων πρὸς Λ. Μ.*, i. e. Philobiblus, cuius primus liber erat de operibus conparatu dignis, isque Lollio Maximo dedicatus (cf. Bergkium Hist. Gr. litt. I, 276[24]), cl. s. *Ἀντισθένης · συνέγραψε τόμους ι΄ · πρῶτον μαγικόν*; s. *Ἀριστογένης .. βιβλία κδ΄, ἐκρίθη δὲ περὶ διαίτης ά*; s. *Καλλίμαχος .. πίνακες τῶν ἐ. π. π. διαλαμψάντων...*, quibus particula quaedam subiungitur *πίναξ .. τῶν .. διδασκάλων*. Suidas igitur reliquas Philobibli partes reticuit vel ignoravit, E. vero cum illud *πρῶτος* non satis intellegeret una cum voce *Φιλόβιβλος* omisit. Dein libri qui adnectitur (*περὶ βίου ἀρχαίων*) a prioribus certe seiuncti inscriptio olim fuisse videtur *βίους ἀρχαίων* (sc. hominum inlustrium) — vocula *περί* falso hic repetita — cf. s. *Θησεύς, Ἰάσων, Νικαγόρας, Τήλεφος, Χάρων Καρχ.*

s. *Διογενειανός* (cf. Flachius p. 65 sq., Nitzschius l. l. 45), ubi Suidae libri AV duo de uno Diogeniano capita exhibent, quae ceteri nec non E. in unum contraxere: *Δ., Ἡρακλείας Πόντου, γραμματικός, [γεγονὼς αὐτὸς] ἐπὶ Ἀδριανοῦ βασ.*; hinc illa pergit: *ἢ ἐκ τῆς Ἀλβάκης Ἡρακλείας τῆς ἐν Καρίᾳ κατὰ Λυσίμαχον*, pro quibus partim multo adcuratiora enarrat Suidas (*ἐπιστατέον δὲ μήποτέ ἐστιν ὁ ἐκ τῆς Ἀλβάκης Ἡ. τῆς ἐν Καρίᾳ ἰατρός*). Iam haec fere statuo: Hesychii epitomator, non Suidas demum, unum Diogenianum in duos grammaticos cognomines discerpsit vel discerptum invenit (cf. voces *καὶ αὐτός*), has duas notationes praestantiores Suidae libri (AV) fideliter reddidere, ceteri contra, quos E. secuta est, haud inconsulte illas in unam conglutinaverunt. Itaque E. non adhibuit Hesychium, etiamsi hanc opinionem conmendare videntur verba *κατὰ Λυσίμαχον* Suidae ignota (cf. Rohdius Rh.

[1]) Nequaquam sufficiunt testimonia s. *Χάρων* et s. *Ἴβυκος* (Flach. p. 62 n. 1); nam in narratione de gruibus Ibyci ducem multo copiosiorem secutam esse Eudociam liquet. Dein exemplo s. *Θαλῆς* (l. l. 63) nil probatur, quod ad Hesychium recedere prorsus diffido (cf. Suid. s. *Θαλῆς*, Laert. I, 22 sq., Herod. I, 75), nec magis glossa s. *Εὔδοξος* rei quicquam auxiliatur.

M. n. 33, 180 n. 3). Ea enim in margine huius lexici olim extitisse, sed casu quodam deperiisse veri simile est. Lysimachum autem (cf. Flachius p. 66 not. 1) illum Cyrenaeum esse vix crediderim (cf. Vossius de Hist. Gr. 464 W., Muelleri F. H. G. III, 334*).[1])

s. *Ἑκαταῖος Μιλήσιος*, cf. supra p. 11. Quam vitam E. descripsit omissa adcuratiore temporum notitia, admissa tamen falsissima narratione *ἀκουστὴς δ'ἐγένετο Πρωταγόρου ὁ Ἑκαταῖος* (Suid.: *καὶ ἦν ἀ. Π. ὁ Ἑ.*), cui nil succurritur *Πυθαγόρου* reponendo. Id vero in propatulo est ab his verbis novum ordiri fontem aeque atque ab insequentibus *πρῶτος δέ...* Qua re pensitata illa e priore vita s. *Ἑκαταῖος Ἀβδηρίτης, φιλόσοφος* perperam huc traiecta esse conieci. Quanquam ne is quidem Protagorae discipulus potest nominari: nam *γέγονεν ἐπὶ τῶν διαδόχων* (Suid.). Sed si hunc et philosophum et Protagorae popularem fuisse memineris (cf. Roeperus l. l. II, 3 sq.), quam facile homines litterati artiorem inter utrumque conexum fingere potuerint persentisces. Videmus igitur notitiam illam a vetustioribus fontibus esse derivandam, quam Suidas sive Hesychius alteri Hecataeo leviter tribuerint.

s. *Θεοδέκτης Ἀριστάνδρου:* hanc glossam E. iterum e Suida delibavit, sed ita ut a fine ad initium redierit, ne illa nimis coartaretur; itemque vitam s. *Ἰοφῶν*, quade permira edisserit Flachius (p. 68 n. 2).

s. *Θεόδωρος Γαδαρεύς:* ubi pessimum conmentum *διδάσκαλος γεγονὼς Τιβερίου Κ. ἐπὶ Ἀδριανοῦ* — pro quo Suidas infra rectissime praebet *ἐπὶ Ἀδριανοῦ Κ. ὁ υἱὸς.. συγκλητικὸς ἐγένετο* — Flachius (p. 69 not. 1) ad alium (?) fontem rettulit (cf. etiam Viol. ed. p. 372). Sed E. illis Suidae verbis temere inspectis notam *ἐπὶ Ἀδρ.* relicuis neglectis cum aetatis definitione statim copulavit.

s. *Ζήνων.. Κιτιεύς*, ubi in verbis *ἐπεκλήθη δὲ καὶ αὐτὸς στωικός* noli cum Volkmanno (Quaest. nov. p. IV, n. 1) Flachioque (p. 69) emendare *πρῶτος:* nam hisce relegamur ad Zenonem Sidonium qui praeit philosophum item stoicum.

s. *Πυθαγόρας*, quam vitam E. in brevissimam formam redegit; verba autem *ἦν δὲ ἐπὶ Ἀρταξέρξου — ὡς προείρηται* ceteris ignorata ex Porphyrii vita Pythagorae, quam mutila condicione servatam esse constat (cf. Rohdius Mus. Rh. n. 33, 205 n. 1), promanasse videntur.

s. *Φοινικίδης* verba conrupta e Suidianis sic conrigenda sunt: *Μισούμενος, ὡς Ἀθήναιος.* Flachii vero rationes (p. 71 n. 2) non adsequor. Iam rursus convenit Eudociae cum deterioribus Suidae Athenaeum conpilantis libris (*Μισουμένη* AV, Ath. XIV, 652 d, *Μισουμένους* BE, *Μισούμενος* cett.).

s. *Φίλων Βύβλιος* in fine adnotat E. *γέγονε δὲ καὶ ὕπατος παρ' αὐτοῦ*, quae verba nullius fere pretii sunt utpote e Suidianis *ὅτι ὕπατος γέγονεν ὁ Φίλων Ἐρέννιος χρηματίσας, ὡς αὐτός φησι* misere conflata (cf. s. *Θεόδωρος*). Nec enim adparet, quis fuerit ille consul quemve respiciant verba *παρ' αὐτοῦ* (Hadrianus certe intellegi vix poterit); Suidae vero ineptam narrationem e glossa s. *Ἐρέννιος* (*ὁ Φίλων.. Ἐρέννιος χρημ.*) et e verbis quae antecedunt (*ὕπατον.. Σεβῆρον τὸν Ἐρέννιον χρηματίσαντα κ. τ. λ.*) indoctissima manu auctoris Severo idem cognomen fuisse animadvertentis coaluisse suspicor (ceterum vide sis Flachium p. 71 n. 1). Unde denique E. titulum *ἐπιγράμματα βιβλία δ'* hauserit me quidem fugit; qualem quidem librum Philonem conscripsisse valde diffido.[2])

At ceterae ferme omnes notationes quas Flachius congessit cum Suidianis tam mire concinunt — nisi quod E. alia omisit alia in breviorem formam redegit —, ut de Suida auctore ambigi nequeat.[3]) Ac similiter illa hunc manifesto descripsit idque saepius parum diligenter in glossis hisce: s. *Ἀπολλώνιος ἐπ., Πίνδαρος* (ap. Suidam cum V reponas *βιβλία* pro *ἐν βιβλίοις*, cf. *Βιογρ.* p. 98, 43), *Λύσιππος* (E. de suo addidit *τραγικός* pro *κωμικός;* utrumque deest ap. Suid.), *Φίλιππος κωμ., Φιλήμων* (*κωμῳδίας ἐννε-*

[1]) Nunc Flachius (Viol. edit. p. 231) *Σύμμαχον* (?) coniecit. An forte *Ἰστόμαχον* reponere praestat (cf. Vossius de Hist. Gr. 460 W.)?

[2]) An haec verba e fine glossae I s. *Φιλόστρατος* (*βίους σοφιστῶν ἐν βιβλίοις δ', ἐπιγράμματα*) perperam huc detrusa sunt?

[3]) Quae Flachius (p. 71 sq.) de Hesychii sive Suidae lexici libro manuscripto coniectavit adeo vagantur, ut tacere fere praestet.

νήκοντα, Suid. κ. πρὸς ἑ., quod Meinekius emendavit κ. ζ' πρὸς q'; ζ' autem apud Suidam interciderat, unde E. voculam πρός male intellectam omisit), Ἐπίνικος (κωμικὸς ἀρχαῖος [immo νέος], Suid. καὶ αὐτὸς κ. [cf. „de S. b." 410], quod E. inscite conrexit), Ἀμμώνιος (φιλόσοφος ὁ καλούμενος Ἀλέξανδρος; E. a vita philosophi ad grammaticum aberravit), Πτολεμαῖος ὁ Ἀριστονίκου... περὶ τῶν παρὰ τῶν ποιητῶν (BEm) ἱστορουμένων (pleniora Suidae verba τὰ παρὰ τῷ ποιητῇ [sc. Ὁμήρῳ] ξένως ἱστορημένα ab Eudocia non satis intellecta mutilata sunt), Ἀγάπιος (servavit E. Suidae errorem), Διόδωρος ὁ Οὐαλέριος (λέξιν ἐπὶ Ἀδριανοῦ; Suid. recte λέξιν, γεγονὼς ἐπὶ τοῦ Καίσ. Ἀ.; in Viol. post λέξιν distinguendum erit).

Caput VI.

De aliquot vitis in quibus Violarii cum Suida consensus maxime cernitur.

Progredimur ad Eudociae glossas nonnullas quibus tanta cum Suidianis congruentia aequalitasque intercedit, ut iure mireris Flachium qui ex Hesychii epitoma illas profluxisse evincere conatus sit (p. 72 sq.). 1) In glossa qua varii Ἱπποκράτεις recensentur discrepantiae inter utrumque tam exiguae sunt, ut notatu vix dignae videantur (quod Suid. tertium Hippocratem vocat ἔγγονον Ἱ. τοῦ δευτέρου, id de Hippocrate aetate secundo, quem tamen primo loco laudavit, intellegi voluit, cui quidem rationi E. satis fecit scribendo προτέρου). 2) s. Πολέμων ῥήτωρ, quam vitam post Eudociam e Suida locupletatam esse suopte arbitratu sumpsit Flachius p. 73 (Viol. p. 590). 3) s. Σίβυλλαι, cf. nunc Maassius de Sibyll. indic. Gryph. 1879, p. 55 et n. 117. 4) s. Φιλόστρατοι: Tres Philostrati apud Suidam pariter atque in Violario ita dispositi sunt, ut omnium nobilissimus qui vitas sophistarum conscripsit primum obtineat locum.[1]) Sub finem vero huius vitae Suidas adnotat: πλὴν πρῶτος ὀφείλει κεῖσθαι · Φιλόστρατος ὁ πρῶτος. Ex temporum igitur rationibus hunc ipsum in fronte conlocare debuit, qualem sedem ei concessere Westermannus et Bekkerus. Nec tamen his licuit a volgari ordine recedere neque magis Flachio (p. 74 sq.) ad suam opinionem fulciendam mutato ordine niti. Sed illud incertum est, hunc utrum S. instauraverit an ab Hesychii epitomatore traditum amplexus sit. Atque hoc alterum evenisse censeo propter ipsa illa verba πλὴν πρῶτος κ. τ. λ., quae parum apta fuissent, si Suidas ipse glossarum seriem invertisset. In Onomatologo vero Philostratos κατὰ χρόνους fuisse digestos docent verba καὶ αὐτὸς δεύτερος σοφ. et πατὴρ τοῦ δευτέρου Φιλ. ab epitomatore Suidaque dormitanter descripta.[2]) Suidam denique Eudociae ducem fuisse omnia signa probant. — In tribus librorum tabulis multa esse conturbata dudum perspectum est (cf. Flachius p. 74), de quibus pauca adiciam: I. Φιλόστρατος ὁ δεύτερος, cui μελέται iniuria tribui videntur, cum idem titulus in ceteris duabus recurrat (tertii Philostrati μελέταις ε' vel propter numeri notam fidem derogare nolim, cf. Flachius p. 74 n. 2). Dein in titulo αἰγας ἢ περὶ αὐλοῦ emenda αὐλῆς (αὐλῶν), cf. Poll. I, 249, Kayseri praef. ad Philostr. not. 85. II. Φιλόστρ. ὁ πρῶτος, cuius librorum tabula ex argumento procedere videtur, pro θεατήν proponam θεατρικήν. Porro in glossa III refingas ἐς αὐτόν pro ἐπ' αὐτόν. 5) s. Πτολεμαῖοι: has quinque glossas e Suida desumptas esse vel ordinis aequalitas arguit. Apud Hesychium numeris eas signatas fuisse Flachius (p. 75) conlegit ex Eudociae voce πέμπτος; idem conrexit apud eandem ἕτερος (ante glossam IV) in τέταρτος, sed praeter necessitatem: E. enim ut ante secundam et tertiam vitam vocibus ἕτερος et ἄλλος utebatur, ita hanc distinxit voce ἕτερος. Exhibet autem Suid. in prima βιβλία γ' (sic Pariss., sed ceteri q'), E. β. ς', quem numerum e scriptura q' depravatum esse opinor. Eadem in quarta glossa conpilanda turpiter lapsa est (ceterum cf. Viol. ed. p. 601). 6) s. Εὐστέφιος E.

[1]) Eundem respicit Suidas seu epitomator s. Φρόντων.. Φιλοστράτῳ τῷ πρώτῳ.

[2]) Itaque hoc documento nostra de Onomatologi ordine sententia denuo firmatur, cf. „de S. b." 408 sq.

Suidae verba mendosa, quibus probabilem adferre medelam nequeo, repetiit (cf. Viol. ed. p. 289). Quos autem sub finem adiecit *λόγους παν*ηγυρικούς, hos si aetatem Eustephii respieis ipsa novisse videtur. 7) s. *Ἵππαρχος* E. Suidae notitiam truncatam (*γεγονὼς ἐπὶ τῶν ὑπάτων*, quae verba probabiliter sanare mihi non contigit) recoxit (cf. Rohdius Mus. Rh. n. 33, 179 n. 1, et Flachii Viol. ed. p. 397). 8) s. *Μέλητος* verba *ἔγραψε — Σοφοκλέους*, quae ad Melissum potius referenda sunt, cum hac glossa male coaluere. Neque aliter est apud Suidam: qualis erroris unice Suidas, non epitomator (quod Flachius censet Viol. p. 497), potest culpari (cf. „de S. b.“ 411). Luculenter igitur haec glossa conmonstrat a Suida pendere Eudociam. Sed idem aliis exemplis similiter conparatis licet firmare. Quae Flachius huc adnectere noluit, ut qui omnium istarum perturbationum epitomatorem (sive librarios) insimulaverit (cf. p. 176 n. 4). Qua in re falsa opinatione deceptum esse docebit disputatio nostra „de S. b.“ 407 sq. E. vero s. *Ἔφιππος* principalem vocem cum Suida falso rettulit (pro *Ἔφορος*), dein in gl. *Σιμμίας* item turpiter erravit (cf. supra p. 10). Hanc tamen vitam ad aliam rem sane quam gravem demonstrandam apte poteris adsciscere. Nitzschius nimirum suae opinioni haud leve accedere firmamentum inde putavit, quod Eudociae vitas cum Suida communes eodem ordine antistoichico quo Suidianas esse dispositas animadverterit (cf. p. 41 sq.). Quod si verum est, E. illas ex lexico antistoichica ratione adornato deprompserit. Hoc ipsum Suidae opus fuisse ille suo iure statuit; at Flachius (p. 172, 176 not.) Hesychium (vel epitomatorem) singularis illius ordinis conditorem fuisse adfirmat. Quod per se obstinate negari nequit, quanquam alteram sententiam glossae *Σιμμίας* condicio conmendare videtur: ex qua aliam disponendi rationem in epitoma regnasse aliam in Suidae lexico regnare discimus. Mira enim perturbatio quae vitam illam invasit inde exorta est, quod Suidae oculi in epitoma describenda ad gl. *Σιμωνίδης* aberrarunt. Id tamen difficile foret explicatu, nisi in epitoma hae duae vitae deinceps essent subsecutae. Ibi igitur singulae glossae ad hunc fere ordinem positae erant: *Σιμμίας Θηβαῖος, Σιμμίας Ῥόδιος; Σιμωνίδης Ἀμοργῖνος, Σ. Ἰουλιήτης, Σ. Κεῖος, Σ. Μάγνης, Σ. Καρύστιος* (hi quidem utpote ambo epici una serie conprehensi), Suidae contra primum lyricos dein epicos tum iambographum recensere placuit. Ergo denuo videmus alphabeticam epitomae dispositionem stabilitam. — Porro Eudociae ad manum fuisse Suidam item in vita s. *Ἀλκμᾶν* cognoscere licet. Nam apud utrumque poetae tribuitur opus „*καὶ Κολυμβώσας*,“ cuius notitiam Suidae suppeditavit Photius (Bibl. p. 150a: *τὰς δὲ Κολυμβώσας Ἀλκμᾶνος κ. τ. λ.*). Sed ille conrupto Photi exemplari utebatur: est enim nomen poetae cum Meinekio (Qu. Scen. I, 33) in *Ἀλκιμένους* redintegrandum, unde Welckerus (de Alcman. 9) recte effecit *Κολυμβώσας* ad comicum esse referendas. Ex eodem Photio (p. 150a) ipse S. verba s. *Πτολεμαῖος Κυθήριος, ἐποποιός· οὗτος ἔγραψε περὶ ψαλακάνθης* (propter vocem *ἐποποιός* inepte addidit Eud. *ἐπικῶς*) *ἐν τούτῳ — ἔχουσα* petiit, quae grammatico cognominato iure adsignavit Meinekius F. C. G. III, 219. Denique in gl. s. *Ἄλεξις* ineptissime legitur *Θούριος κωμικός, ὅστις πρότερον Σύβαρις ἐκαλεῖτο*, quae verba S. paulo consultius post *Θούριος* posuit: suspicabatur autem Gaisfordus e margine ea inrepsisse. Quod utut est (cf. Flachius Viol. p. 102), verba manca esse videntur atque ex Stephano Byz. (s. *Θούριοι*) sic fere supplenda: [*Θούριοι δὲ πόλις Ἰταλίας, ἥτις*] *πρότερον κ. τ. λ.* Sed iam epitomen hanc labem contraxisse parum credibile est. Iam quattuor restant documenta, quibus firmissimum nostrae sententiae adfertur praesidium: 1) In vita s. *Πολύευκτος κωμ., τούτου δρᾶμά ἐστιν Ἡνίοχος, ὡς Ἀθήναιος ἐν δειπν. φησιν* Eud. Suidae ineptias — transformavit nempe poetam comicum in fabulam vicissimque fabulam in comicum — repetiit. Nec potest Suidae glossa ex Athenaeo petita ad Hesychii epitomatorem referri (aliter Flachius p. 98 n. 1, et Viol. p. 599), quippe qui Heniochi — is erat poeta — vitam seorsum descripserit. 2) s. *Φιλόσοφος* Suidae librarii lemma *Φίλιππος Ὀπούντιος*, quod epitoma praestabat, litterarum similitudine inducti neglexerunt (cf. Bernhardyi adn.; at vix probabilis est Flachii opinio p. 99 n. 1, et Viol. p. 720). Eadem lacuna in Violario cernitur. 3) s. *Χείρων, Κένταυρος.. ὑποθήκας δι' ἐπῶν* (cf. Flachius p. 99 n. 2) E. una cum Suida Hesiodi carmen *Χείρωνος ὑποθῆκαι* nomine *ὑποθῆκαι* Chironi falsissime adscripsit, qualem errorem cave in Hesychium transferas, qui ne conposuit quidem

totam notationem. 4) Vitam s. *Κόραξ ῥήτωρ* e Suida nota glossographica *κόραξ* — Coracis memoria apud Hesychium deerat — enatam esse sponte elucet, cf. Nitzschius p. 34 n. 8, at Flachius p. 97 n. 1.[1])

Quibus expositis etiam aliud considerare in animo est. Videmus nimirum Eudociam aliquotiens paulo emendatiores praestare scripturas, quales in Suidae codice quem adhibuit invenerit. Velut quod E. s. *Ἑρμαγόρας φιλ.* exhibet *Μισοκύων ἢ περὶ ἀτυχημάτων*, Suid. autem (BE omis.) *Μ. ὁ περὶ ἀ.*, scriptura *ἤ* cum Westermanno Suidianae erit praeferenda. Deinde s. *Κράτης Μαλλ.* extat in Violeto *διόρθωσιν*, quod Bernhardyus merito recepit, Suidae vero libri ABVEm *δὲ ὄρθωσιν* habent. Sed s. *Παλαίφατος γραμμ.* E. praebet *ἀλληγορίας τῶν μ. εἰρ.*, *λύσεις* dant Pariss. Kusteri et m, *λίας* ceteri (cf. Bernhardyi adn.), qua in re adparet illam suo Marte inscriptionem mutasse. Porro s. *Λογγῖνος* ex Eudociae scriptura *καταφειδίου* (ABVE *κατὰ φυβίου*) non multum lucramur, etiamsi Langbaenius probante Ruhnkenio *κατὰ Μειδίου* inde refecit (vid. Bernhardyi adn.). Denique s. *Σίβυλλα Ἐρυθραία* E. Suidae librariorum menda (E *Σαρδίνην*, B *σαρδώνην*, V *γὰρ δάνην*, v. *Σαρδάνην*) proclivi emendatione *Σαρδιανήν* sanavit.

Iam unum superest exemplum quod opinioni nostrae adversari videtur. Nam Eudociam a gl. *Κάλλιππος* in gl. *Κέβης* aberrasse monuit Nietzschius (Mus. Rh. 22, 193), quem quidem errorem explicari posse negavit, nisi in Eudociae fonte (sc. Hesychio) hi duo articuli — apud Suidam longe inter se distant — proxime fuissent conlocati. Sed nunc Flachii (p. 97 n. 2, p. 9, Viol. ed. p. 446) curis Villoisonum glossas conglutinando turbavisse constat, quare alterius nomen principale (*Κέβης*) absorptum est.

His omnibus argumentis unum accedit, quo nostrum de tota re iudicium non minus firmiter corroboratur. Enimvero iam Nitzschius (p. 43 sq.) conpluries scripturas Eudocianas cum deteriorum Suidae librorum scripturis mirum in modum conspirare animadvertit. Addo autem exemplis ab illo congestis graviora quaedam, quorum indolem unusquisque ilico perspiciet: s. *Ἄρατος*, *Εὐφορίων*, *Σόλων* (V recte *δι' ἐλεγείων*, cett. *δὲ ἐλεγείας*, unde Eud. vocula *δέ* omissa *ἐλεγείας* dedit), *Φωκυλίδης*, *Ἰοφῶν*, *Λεύκων*, *Φιλιστίων*, *Ἐπίχαρμος*, *Σώπατρος κωμ.*, *Θεόπομπος*, *Ἀγαθίας*, *Ἵππυς*, *Κάδμος Ἀρχ.* (scripsit E. *καὶ Λυκῖνον* — ubi casus certe servandus erit — *καὶ Κάδμιον*, secuta verba quae extant in m: *λυκ. καί*). Qualis observatio quantum ad sua ipsius placita labefactanda valeat ne Flachium quidem subterfugisse videtur (cf. p. 99 sq.), hic tamen scrupulum meris ariolationibus expellere studuit, quas refutare longum est. Ecquis enim non reprobet effugium, quo librarios Eudociae exemplar ad deteriores Suidae libros aliquotiens conrexisse, aut illud quo Violarium e Suida posthac interpolatum vel amplificatum esse (cf. e. g. glossam s. *Μαρψίας* e Suida — de Hesychio taceo, cf. Flachius p. 97 n. 3, Viol. p. 496 — per Eudociam depromptam) opinatur?[2]) Denique vix ac ne vix quidem potest intellegi qui factum sit, ut Eudocia Suidae lexicon abiceret, Etymologicum Magnum quod aiunt recentioris aevi sedulo conpilaret (cf. Flachius p. 101). Quis eiusmodi rationibus inductus sibi persuadebit Suidae aetatem ad liquidum nondum esse exploratam?

Caput VII.

De ceteris capitibus plerumque non biographicis, quae habet Eudocia cum Suida conmunia.

Una relinquitur causa quae adversariorum sententiam tueri fortasse possit. De qua explicatius disseruit Flachius p. 76 sq. (cf. Nitzschius p. 34 sq.) sic fere argumentatus: Si Eudociae ceterarum

[1]) S. *Διοσκορίδης* duos Suidam confundere Dioscorides dudum intellectum est, qualem errorem iam ab Hesychio conmissum esse Flachio (p. 95, n. 3) credo, quamvis non propterea quod E. itidem lapsa sit.

[2]) Quanquam non desunt glossae postea demum e Suida sive aliunde per interpolatores adiectae (cf. Flachius l. l. 153 sq., 164 sq.); cave tamen notationes quae cum Suidianis mirum in modum atque etiam in erroribus consentiunt omnes ad eandem normam post Eudociam accessisse arbitreris.

glossarum cum Suida cognatarum auctorem hunc ipsum fuisse demonstraretur, parum certe veri simile esse in biographicis illam eundem non adhibuisse fontem. Sed nullam esse dubitationis causam, quandoquidem communes ambo thensauros despoliaverint. Quid igitur? Talis ratiocinatio num ab omni parte probabilis est? Licet enim E. in his narrationibus ad fabularem plerumque historiam pertinentibus Suidam non conpilaverit, hinc tamen minime consequens est in biographicis illam eundem ignorasse. Sed illae glossae e conmuni fonte ne omnes quidem deductae esse videntur, immo haud paucae talem prae se ferunt indolem ut a Suida non repetere nequeas, quas cave cum Flachio (p. 87) suspicere recens demum e Suida esse adiectas: *περὶ Ἀβάριδος ὁϊστοῦ, π. Ἄϊδος κυνέης, π. Ἀλιτηρίων, π. Ἀπίδων, π. Βηροῦ, π. Γάγγου, π. τοῦ δέρατος τοῦ χρυσ., π. Διός, π. Ἰαιναρίου, π. τῶν κολάσεων κ. τ. λ., εἰς Κυνόσαργες, π. Ὀρφέως, π. Πολυγνώτου, π. Πολυζήλου, π. Πριάπου, π. Σαρδαναπάλου.* De duobus porro articulis paulo prolixius disputare liceat. Ac primum quidem gl. s. *Δίκτυς* a Suida aliena est (cf. Flachius p. 79 sq.), verba tamen *τούτου ἱστορία κ. τ. λ.*, quae peculiari auctori debentur, tantum abest ut Hesychianam redoleant originem, ut rerum scriptori quem item Suidas adhibuerit vindicanda esse videantur. Nolo equidem totam de Dictye quaestionem nunc retractare (cf. etiam Flachius l. l. 153 sq., Viol. ed. p. 221), at pauca conferam ad verba utriusque glossae emendanda: reponas nimirum ap. Eudoc. *Δίκτυς ὁ καὶ Κρής*, dein *ὧν ἐν ἑνὶ εὗρητο* (cf. Suid.). Dein Suidae vita est tripertita: 1) *Δίκτυς — οὗτος ἔγραψε.* 2) inde usque ad *ὅτι ἐπὶ Κλαυδ.* 3) hinc usque ad finem. Sed prima particula Hesychio prorsus digna misere lacerata est. Tradita enim haec sunt: *Δ. ἔγραψεν ἐφημερίδα· ἔστι δὲ τὰ μεθ' Ὅμηρον... Ἰταλικά* (scr. *Ἰλιακά*), *Τρωικοῦ διακόσμου.* In his verba *ἔστι δὲ κ. τ. λ.* recte se habent, quippe quibus libri *ἐφημερίς* argumentum adumbretur (cf. s. *Πείσανδρος Καμ.*); at eadem refragantur operis quod etiamnum extat condicioni totum bellum Troianum conplectentis. Quare sic velim refingas: *ἔστι δὲ τὰ καθ' Ὅμηρον.. Ἰλιακά* (quod nomen cum superioribus arte conectendum ab „*ἐφημερίς*“ nil differt). Deinde verba *Τρωικοῦ δ.* aut ad sequentia *πάσης Ἰλιακῆς ὑποθέσεως* in margine adscripta fuisse, aut — quo magis inclinat opinio — voci *Ἰλιακά* explicandi gratia adhaesisse videntur, unde haec forent supplenda: *Ἰ. ἢ τὰ τοῦ Τρωικοῦ διακόσμου.* Quod extremum verbum idem est quod *πόλεμος* (cf. Eud. *ἐφημερίδα τοῦ Τρ. πολέμου*, et Suid. infra *τὸν Τρ. περιέχον πόλεμον*). Ceterorum sententias consulto reticui. Praeterea in alienas partes discedo de variis Theognidis vitis (cf. Flachius l. l. 83, Viol. ed. p. 367, 375), quas brevissime hic subicere placet:

I. Eud. p. 366 (Fl.): *Θέογνις, εἷς.. τῶν... τυράννων...*
II. p. 367: *Καὶ Θέογνις ἕτερος Μεγαρεύς — παραινετικάς.*
III. ibid.: *Καὶ Θ., τραγῳδοποιητής — ἐλέγετο.*
IV. ibid.: *Ἔστι δὲ καὶ ποιητὴς Μεγ. — Θέογνις.*

At in poetarum grege hi duo recensentur p. 375:

V. *Θέογνις, Μεγ. — πάντα ἐπικῶς* (quam vocem noli temptare, cf. „de S. b.“ 427 n. 18).
VI. ibid.: *Καὶ ἕτερος Θέογνις τραγῳδοποιός.*

In his ecquis non miretur Eudociam, quae Theognidis tyranni vitae peculiari e fonte, non ex schol. Ar. Acharn. 11 desumptae — nec recensuit illum in grege hominum litteris non insignium, cf. „de S. b.“ 427 —, duas tresve de cognominibus poetis notationes adnexuerit? Verum Flachium non satis adsequor (l. c.) ita loquentem: „E. handelt hier von politischen Grössen, nicht von Dichtern, sie konnte aber nicht verschweigen, dass der Tyrann ein tragischer Dichter gewesen war.“ Idem porro statuit verbis (III) *καὶ Θέογνις — ἐλέγετο* (haec demum cum scholiasta concordant omissis tamen verbis *ἐκ τῶν λ'*, sed e Suida potius descripta videntur) lectorem aliquem gl. alterius (p. 375) ignarum perductum fuisse ut Theognidis Megarensis vitam e Suida adiceret, idque iam per alium genuina Eudociae glossa notitia (IV) *ἔστι δὲ — Θέογνις* ditata. Itaque Eudociam de uno egisse poeta, quandoquidem ceteri duo iidem essent. Haec quidem Flachius. Sed ni fallit opinio poetae tam elegiaci quam tragici memoriam ipsa E. bis enarravit idque huius iterationis nescia, qua in re nemo haesitabit qui consuetudinem, qua illa de iisdem hominibus identidem agere praeclarisque nominibus *ὁμωνύμους*

subiungere adsolet, in mentem revocaverit.[1]) Noli igitur talia ad alienas manus referre; atque etiam glossam IV, quam magistelli ingenium prodere iam Bernhardyus monuit, E. ipsa e Suida — quamvis melius — descripserit. Conpilavit igitur bifariam Suidae de Theognide Megarensi notationem (cf. „de S. b.“ 423 sq. 425). Atque in priore quidem glossa (II) usque ad *ὀκτακόσια* Suidam ad verbum fere descripsit, dein quae secuntur *ἔγραψε δὲ καὶ γνώμιας π.* e Suidianis *γνωμιολογίαν — παραινετικάς* paulo neglegentius expressa videntur.[2]) Ex contrario fere in altera (V) extrema Suidae verba fidelius servata sunt, abest tamen elegiae in Syracusanos conpositae memoria titulusque *„γνώμιας δι' ἐλεγείας“* in duos est discerptus. Haec omnia autem momenta quantum ad fidem Nietzschianorum conmentorum (M. Rh. 22, 193 sq.) elevandam valeant iam satis adparuerit (cf. „de S. b.“ 429 sq.).

Ultimo denique loco unum persequi in animo est, quo ni spes fefellit Suidam aliquando pleniorem extitisse denuo probatur. Continentur videlicet libro Paris. 2600 sub inscriptione *ἐκ τοῦ Σούδα* excerpta aliquot de Dictye, de Epimenide, de Rhiano, de aliis ab E. Millero in opere „Périple de Marcien d'Héraclée“ p. 311 sq. evolgata (cf. Flachius p. 90), eaque partim largiora quam quae in Suidae lexico adhuc superstite reperiuntur. Verumtamen haec omnia praeter vitam Rhiani aliunde, non e Suida esse delibata Flachius (l. l.) demonstravit et ipse de condicione verborum *ἐκ τοῦ Σούδα* probabiliter suspicatus. At glossam s. *Ῥιανός* illi unice deberi in aperto est. In cuius initio praeter cetera sic velim distinguas: *Ῥ... γραμματικός· οὗτος πρότερον κ. τ. λ.* (cf. Suid.). Abundat autem anonymus ille notitia (*ἔγραψεν*) *εἰς γραμματικήν*, post quae nescio an exciderit vocula *τινά*. Qua re pristina Suidae ubertas — nam tale quid ille de suo addidisse vix cuiquam videatur — citra omnem ponitur dubitationem. Ubi id quoque est adtendendum librorum tabulam quamvis decurtatam multo concinnius quam apud Suidam Eudociamve esse exhibitam (*εἰς γραμματικὴν καὶ ποιημάτων βιβλία δ'*). Manca autem Suidae verba hunc fere in modum redintegranda esse conicio: *ἔγραψε καὶ καταλογάδην* (*εἰς γραμματικήν τινα*) *καὶ ἐμμέτρως* (sic ABVEGH, cf. s. *Ἄβαρις*, *Θεοδέκτης Φασ.... ἐν μέτρῳ*, quod sanum est) — vox enim *ποιήματα* posthac accessit — *Ἡρακλειάδα ἐν β. δ'*.

Sed haec quidem hactenus. Omnes igitur vitas, quas Flachius (l. l. 94 sq. et in Viol. ed.) tanquam Hesychianas denotavit, ad Suidam vel ad alios auctores probabilius a nobis revocatas esse speramus. Quanquam in nostra disquisitione haec illa esse ambigua haud diffitemur: certe omnia ad summum probabilitatis gradum evehere non contigit neque unquam, opinor, continget. Nihilo tamen setius rem ipsam conprobasse mihi videor.

---

[1]) Qua de re vide Flachium l. l. 158 sqq., qui tamen plurimas iterationes ab interpolatoribus repetiit.

[2]) An potius hisce verba *ὅτι μὲν παραινέσεις κ. τ. λ.* reddita esse arbitrabimur?

[3]) Porro, ne quid omittam, Flachius (p. 87 sq.) de origine aliquot vitarum in scholiis ad Plat. Rep. X (ed. C. F. Hermanni VI, 359 sq.) passim servatarum disseruit, quas (s. *Πυθαγόρας, Σόλων, Κρεώφυλος, Ἡρωταγόρας, Πρόδικος*) ex Hesychiana epitoma haustas esse Rohdius (Mus. Rh. n. 33, 205 n. 1) animadverterat. Idem statuit Flachius de vitis *Θαλῆς, Λυκοῦργος, Ἀνάχαρσις*, sed iniuria. Nam primam s. *Θαλῆς* ex Laertio I, 1 promanasse luculenter docet librorum tabula Suidiana peculiari ex fonte deprompta nec minus inventorum memoria — quam omisit Suidas — cum Laertio I, 23 sq. fere congrua. Dein vitarum s. *Λυκοῦργος* neutram — ambae enim et Suidae et scholiastae valde inter se differunt — ad epitomen recedere arbitror, quippe in qua Lycurgo vix locus fuerit. Postremo in gl. *Ἀνάχαρσις* ab Eudocia scholiastaque Laertiana (I, 101 sq.) esse expressa cum probant omnia signa, tum patris nominis scripturae discrepantia (*Γνοῦρον* Laert. Schol. Eud., *Γνῦρον* Suid.) arguit. Sed ne in vita quidem s. *Πυθαγόρας* epitomae omnia scholiasta debere videtur. S. nimirum ait illum *πλεῖον ἢ χ' γνωρίμους* (sic Pariss. B*V, ceteri *πεντακοσίους*) habuisse, schol. contra: *τ' ἔσχε μαθητάς*, hac in re cum Laertio (VIII, 3: *πρὸς τοὺς τ'*) fere concordans. Itemque tabula librorum cum Laertiana (VIII, 7) congruit, manifesto autem verba *συνεγράψατο δὲ κ. τ. λ.* ex eodem fonte deducta sunt. Idem nescio an cadat — ex parte quidem — in gl. s. *Σόλων* et s. *Ἡρωταγόρας*, ubi quidem verborum ordo idem deprehenditur qui extat apud Laertium (IX, 50): *Πρ. Ἀρτέμωνος, Ἀβδηρίτης* (at Suid. *Π. Ἀβδ. Ἀρτ.*). Nec denique placet singillatim refellere quae Flachius (p. 89 sq.) de Onomatologo epitomaque et de vitis s. *Ζήνων Ἐλ.* nec non s. *Ἀναξαγόρας* (quae procul dubio e Laertio II, 6 profluxit) tanquam ab Hesychio suppeditatis mira ratiocinatione in medium protulit.

[4]) De Aristotelis vita Menagiana cum aliis recte iudicavit Flachius (p. 94 sq.) nec minus de mutua inter Zonarae et Suidae lexica ratione (p. 92 sq.), quanquam inde quod Zonaras epitomen non adhibuit hunc ipsum libellum in claustrum imperatricis transmigrasse, dein oblivione obrutum esse temere coniecit. Immo epitome illa Eudociae non magis quam Zonarae aetate superstes fuisse videtur.

[**Addenda.** Ad p. 14: s. *Πείσανδρος* vocem *ἡρωικῶν* nunc tueri malim; dedit igitur Suidae codex ab Eudocia adhibitus hoc loco meliorem scripturam. — Ad p. 16 s. *Ἀντισθένης* cf. Zellerus l. l. II, 1[2], 201 n. 2].